

**Dissertatio inauguralis medica de lochiorum suppressione ... / [Johann Matthäus Nohr].**

**Contributors**

Nohr, Johann Matthäus.  
Alberti, Michael, 1682-1757.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1731]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/nykghxha>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**LOCHIORUM**  
**SUPPRESSIONE,**

*Quam,*  
AUSPICE DEO PROPITIO,  
*Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P R A E S I D E

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**  
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CON-  
SILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ETC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,*

**PRO GRADU DOCTORIS**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

*HORIS LOCOQUE CONVENTIS,*

ANNO MDCCXXXI. D. APRIL.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI

SUBJICET


RESPONDENS

**JOANNES MATTHÆUS NOHR,**  
BARUTHINUS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.





## PROOEMIUM.



Vemadmodum in gene-  
re humano frequentia ægrot-  
tandi secundum differentiam  
naturalium causarum inqui-  
renda & decidenda est: ita re-  
spectu sexus fæminis mox post  
lapsum afflictio corporis mor-  
bosa, indicta & dolorosus par-  
tus decretus fuit, ita ut sub hac pœna caro aut  
corpus præcipue patiatur; hinc *B. Lutherus Genes. III.*  
*v. 16. p. m. 393. a.* dicit: Hier steht das Wort Rab. wel-  
ches eine Grösse und Vielheit bedeutet, also daß man  
verstehe nicht allein grossen, sondern auch vielen und  
mancherley Jammer und Schmerzen, welchen He-  
va nie erfahren hätte, wo sie nicht in die Sünde ge-  
fallen wäre: Und dräuert Gott sonderlich der Em-  
pfängniß und Geburt ic. inde liquet, quod sub &  
ex nativitate corporis morbosæ calamitates i-cho-  
ent, proinde etiam verum sit, quod *Hippocrates elo-*

cutus est in Ep. ad Damagetum: text. 279. totum hominem a nativitate morbum esse ( quod assertum nervose interpretatur Rejesius in Campo Elys. juc. qv. 99. ) & addit text. 285. ex maternis enim uteri inquinamentis talis prodiit: sive ut perspicue interpretemur: infirmitas hæc morbosa ipsi hæreditaria, aut connata est: exinde vero iterum inclarescit, quod totus processus generationis, gestationis & partus hominis multa connexa complectatur molestiarum schemata: hinc quidam Mulieres a mollitie derivare volunt, velut Corœus in Comment. I. Hippocr. de Morb. Mulier. Lib. I. eo quia ipse Hipp. l. c. §. 2. text. 1. asserit, quod mulier rariore carne prædita sit, quam vir, cui sententiæ Sinibaldus in Geneanthr. Lib. 3. tract. 4. c. 1. p. 381. suffragium suum addit, quemadmodum Apostolus Petrus i Ep. III. 7. mulieres infirmiora nominat vasa: Sicut porro fæminarum propriam partem esse uterum Sinibaldus l. c. Lib. 4. tr. 1. c. 3. p. 416. hoc edisserit effato: omnibus cuiusque speciei, non omnino imperfectæ, fæminis uterum inesse, tanquam propriæ naturæ characterismum, docuit aperitis fidibus Aristoteles Lib. I. hist. anim. c. 13. ita hunc uterum omnium morborum causam esse, indicavit Hippocr. Lib. II. de Morb. Mul. §. 6. text. 1. quod assertum multi medici suo comprobant testimonio: quare Rejes. in Camp. Elys. juc. qv. 46. n. 2. exclamat: Si enim sentinæ uteri locum, naturam, humorum copiam, sanguinis effluxum intemperiem, putredinem consensum deinde, cum ventriculo, jecore, corde, septo transverso & cerebro spectemus, innumeras ægritudinum myriades, ac accidentium chyliadas hinc inde supervenientes videbimus, ut nullus fere sit morbus,

bus, qui a conspurcatissimo uteri fonte dimanare non pos-  
sit, ita ut minera quædam merito sit appellandus. Et  
quamvis antiquiores nonnunquam utero plures ad-  
versas, imo plane virulentas tribuant & affingant  
qualitates, tamen multæ inde ærumnæ, vitæ & sani-  
tati valde infensæ, oriuntur, quod etiam testatur  
*Helmontius tr. Asthma & tussis* §. 17. quando ait, *sexus*  
*muliebris, semel omnes propemodum morbos patitur ex u-*  
*tero, iterumque eodem quatenus homo:* ita porro *Demo-*  
*ritus Hippocrati confitetur text. 74. sq.* quando *uterum*  
*nominat vebemens malum infinitarum ærumnarum in mu-*  
*liere causam:* hisce sua approbatione & consensione  
accedit *Rolfinck Lib. XI. cons. i. p. 877.* & *Wedelius in ex-*  
*ercit. medic. philol. Cent. I. dec. 1. exerc. 8.* cui titulus est:  
*Uterus morborum author p. 22. eloquitur: Uterus quod-*  
*dam centrum morborum constituit, ex quo omnes, quasi*  
*lineæ quædam ducuntur, omnesque illuc ex toto corpore*  
*confluunt: & Bartholinus Aet. Haffn. Vol. 3. p. 29. addit:*  
*Uterus est officina rerum mirabilium.* In tanta itaque  
calamitatum officina generatur homo; in qua ipsa  
vicissim ob varias causas ac vicissitudines variæ  
morborum observantur origines; inde etiam fæmi-  
næ facile ac sæpe ægrotant, sed & in diversos inci-  
dunt morbos: quid quod in quolibet sequioris se-  
xus statu, variæ morbosæ ingruunt afflictiones:  
nos hoc loco tantum *Partum* annotamus, qui toto  
suo schemate morbosus est, nec non variis morbo-  
sis consecutionibus ansam præbet; quare *Primerosi-*  
*us de Morb. Mulier. Lib. 4. c. 8. p. 325.* ait: *Semper autem*  
*maxima cura habenda est earum, quæ recenter pepererunt,*

parum enim a vulneratis differunt, adsunt enim sanguinis fluxus, contusiones post labores, virium dejectio: & cap. 12. p. 336. variis morbis afficiuntur puerperæ, variis de causis, vel ob vitium vacuationis Lochiorum, quando supprimuntur, aut diminuuntur &c. Et quoniam de Mulierum & præc. Gravidarum Morbis differendi amplissima patet occasio, ita dum hic quidem in diffusum laborem excurrendi patet opportunitas, nos iterum parentium & puerperarum excretiones sanguinis advertimus, quæ ob varias alterationes supervenientibus fonticis morbis viam sternunt; aut enim præmature, aut præpostere, aut sero sanguinea illa purgatio uterina contingit, aut porro in quantitate excessiva & defectiva, aut in qualitate, aut in modo, aut in ordine &c. peccat: ubique morbi inveniunt suas radices: unde porro multum interest, quo hæc purgamina uterina post partum congrue procedant; eo etiam tendit antiquorum & recentiorum medicorum sollicitudo, ut in præservanda, confirmanda & restituenda sanitate fæminis tam extra graviditatis statum, quam post illum uterinas purgationes in debitum ordinem & successum convertant, quando & quamdiu videlicet illis justa temporis ratio periodus & opportunitas affulget: haud tamen in hac observatione rarissime occurrentia & alium rei statum inferentia phænomena, regulam pro imitacione & utili applicatione constituunt, quando forte una alterave observatio historias ac exempla fæminarum, quibus nunquam ulla uteri purgamina citra tamen aliquod præjudicium contigerant, profert;

fert; quales casus ultra scientiam & curiosam admirationem, vix alterius usus & dijudicationis sunt, nisi insolitis & raris observationibus annumerari debeant, interim notitia talium casuum non omnimode rejicitur, modo aliis scitu dignioribus & utilioribus non præferantur: hinc monitum *Cordæ in Comment. VII. Lib. I. Hipp. de Morb. Mul.* advertimus, quo edisserit: *Cujusque Medici hoc esse debere consilium, ut referantur omnia semper ad utilitatem & solatium fatigatorum: non solum quippe medicus esse debet naturæ imitator, sed ejus etiam minister affectus bene, i.e. benevolus, illum benevolum judicamus esse Medicum, qui salutares naturæ operationes & evacuationes a turbis ac offensis præmunit, in justo successu conservare adjuvat, aut in ordinem debitum iterum convertere & dirigere annititur, sic & imitatur naturam & dextre cum eximia fruge ac usu, plus quam alia opinionum ac insomniorum monstra, etiam eidem ministrat: Quantum itaque interfit processum excretionum sanguinearum in fæminis recte nosse & dirigere, quotidiana edocet experientia, cum quibus sub congruis respectibus vita & sanitas, morbus & mors arctum nexus servare solent: Et quo magis prævalet Partus & Pu-erperii status ratione morbofarum qualitatum, eo digniorem disquisitionem meretur observatio purgaminis sic dicti sanguinei, proxime cum Partu co-hærentis: quæ consideratio nos permovit, ut præsenti Inauguralis Dissertationis Specimine de LO-CHIORVM SVPPRESSIONE age-re in animum induxerimus; cui conatui ut cœle-  
ftis*

ftis Gratiaſannuat , eidemque exoptatos largiatur  
successus atque usus , est quod devotissimis votis  
contendimus.

## §. I.

**Q**uod Hippocrates de *Natura Pueri* ſ. 13. text. 2.  
seq. elocutus eſt: *Si non purgetur , purgami-  
nibus partus mulier , morbus ipsam magnus  
corripiet , & periculum vitæ incurret , niſi ci-  
to curetur , & quis convenientem ipſi purga-  
tionem inducat , id in memoriam revocantes , eapropter  
morbosum & periculosum illum *Lochiorum* statum expli-  
care cogitamus , qui a legitimo & congruo illorum pro-  
cessu & successu alienus eſt: *Lochia* itaque suppressa in  
*constitutione* , qualitate & efficacia sua inquirere & indi-  
care placet: haud vero in *nominum explicatione* diu hæ-  
rere lubet , cum rerum *medicarum* vel leviter gnaro ti-  
tuli nervus innotescat: *Lochia* itaque Medici appellant  
illum *sanguinis uterinum fluxum* , qui fœtus partum &  
secundinarum ab utero avulsionem & consequentem  
exclusionem in statu *ordinario* excipit , quare antiquissi-  
mi medici illum nomine *Purgaminum Puerperarum* deno-  
tare solent: ita *Langius Lib. 2. ep. XI.* dicit: *hanc post par-  
tum sanguinis purgationem veteres λοχίων οὐενωσιν appellaverunt*: & *Gorræus* definit. Medic. sub hoc tit. ait: *Lochia*  
dicuntur omnia , quæ post fœtum & secundas a puerpera  
exeunt: Sunt autem revera καλαυήναι , a quibus tamen fo-  
la ratione differunt , quod hæc ante partum , illa post par-  
tum ſic appellantur: hoc loco nonnulla *Foëſii* verba in *Oe-  
conom. Hipp. tit. λοχίην καλθαρότες* annotamus : hæc *sangui-  
nis post partum secundum naturam vacuatio* , quæ λοχίων  
οὐενωσις*

κένωσις antiquis vocatur, ut scribit Galenus Comment. 3.  
*Lib. 3. Epid. crebro ή λοχίη aut λοχεῖν καί θάρσος dicitur &c.*  
 & porro: Veteres Medici λοχεῖαν καί θάρσον b. e. puerperii  
 purgationem, non simpliciter evacuationem nominarunt:  
*conf. Sylvius Prax. Med. Lib. 3. c. 8. §. 5. hujus purgationis*  
*Puerperii Hippocr. in lib. de Nat. Pueri de Morb. Mulier.*  
 multiplicem mentionem facit: nec tamen multum illi  
 differentiae inhærere placet, quam *Cordæus in Lib. I. Hipp.*  
*de Morb. Mulier. Comment. I. p. 12. & Comment. 7. p. 447.*  
*Sennertus in Prax. Lib. 4. Part. 2. Sect. 7. c. 3. ex Hippocrate*  
 proferunt, inter λοχεῖα & λοχίν, ubi λοχεῖα s. λοχία ipsa  
 illa post partum purgamenta, seu materiam & humorem,  
 qui evacuantur, significare dicitur. λοχίη vero, aut λοχεῖν  
 dicit Sennertus, est evacuatio s. effluxus illius materiæ us  
 ex Hipp. Lib. I. de Morb. Mul. in init. apparet: aliam itaque  
*Hippocrates purgationem post partum sanis mulieribus*  
*familiarem recenset, ubi sanguis effluit, quasi in modo ma-*  
*Etata victima isque cito concrescit, qui integer, sincerus,*  
*floridus, & rosei coloris est; aliam commemorat, si mu-*  
*lier integra valetudine non fruitur & cacochymica est,*  
*quarum sanguis nunc aquosus, nunc biliosus, nunc melan-*  
*cholicus est, nec in omnibus eadem quantitate fluit, nec in*  
*omnibus eodem tempore durat: Nos præsentithemate de*  
*illo Lochiorum fluxu differimus, qui in naturali, ordinario*  
 & consueto statu procedere solet & debet, cuius præ-  
 ternaturalem ac morbosum defectum explicare lubet: qua-  
 re in titulo quidem absolutam ejus *Suppressionem anno-*  
*tavimus, sed in reliqua deductione imminutionem, aut*  
*insufficientem progressum, i. e. deficientem quantitatem &*  
*suppressam copiam & durationem hujus fluxus una con-*

ciliare placet: qui defectus sicut gradu discrepat, ita etiam quoad *morbosam* suam offenditionem de *præsentis & futuro*, gradu differre solet: est itaque hic *sanguinis fluxus post partum* absolute necessarius & salubris, non modo eapropter, ut *Sylvius in Præx. Lib. 3. c. 8.* judicat, quo uter, qui antea pro *fætus* nutrimento multo sanguine oppletus fuit, nunc post illius exclusionem, in pristinam parvitatem revertatur, ubi simul addit: *voluit Deus, ut iste sanguis post partum efflueret,* & quidem intra dies paucos, quem *sanguinis fluxum Lochiorum nomine vacant medici:* sed & ob *læsionem* continui, dum superficialis uteri substantia, & invicem communicantes venæ & arteriæ, cum *placenta uterina* cohærentes, dilacerantur; quo porro tam diu retenta uteri *purgamina* in ordinem ducantur; quo substantia uteri multo sanguine hactenus impleta, *depleatur* & suspecta *stagnatio* & stasis avertatur; quo *universum* corpus a *superflua* *sanguinis copia* liberetur, quemadmodum ut plurimum *Gravidæ* suspecte *Plethoricæ* existunt: quo ex parte *læsio* uteri ad *faciliorem consolidationem* præparetur, siquidem *omnes* *vulnerationes & dilacerationes* *sufficientem* *sanguinis emanationem* requirunt, ex *defectiva* vicissim tali cruentatione in reliqua *restitutione* valde *impediuntur*; quo futuro *Mensium* fluxui iterum via paretur; hinc juxta antiquiores & recentiores *Mensium & Lochiorum* fluxus magnam habent convenientiam, ut infra annotabimus §. 2. & 3. quare allegatus *Sylvius l.c.* ait: *Solent autem ut plurimum quibus copiose fluunt Menses, copiosum quoque pati Lochiorum fluxum* & contra: ideo cum ad puerperas & primo *præsertim* in puerperio vocantur *Medici, ac de Lochiorum*

fluxus

fluxu occurrit sollicitudo, inquirendum est in Menstrui fluxus modum & copiam, quo conjicere liceat, an fluxus Lochiorum censendus naturalis, vel ab ipso plus minus deflectens. Ex quibus omnibus nunc patet, Suppressionem Lochiorum accidens præternaturale & morbosum esse, quia Lochia formaliter & essentialiter purgationem i.e. evacuationem, aut fluxionem complectuntur; hinc Lochia non debent subsistere, quando fluere debent, nec fluere, quando acquiescere iterumque cessare debent.

## §. II.

Hic Lochiorum defectus juxta certam relationem aestimandus est, siquidem secundum Hippocratis annotationem de Natura Pueri §. 14. text. 7. 8. Purgatio Puerperii in primis diebus plurima procedit, deinde paucior, donec desinat: quare in statu ordinario initium suum, iterumque finem opportunum habet, in quo termino legitimus illius processus agnoscitur & in excessu ac defectu dijudicatur: neque etiam generalis ac absoluta inter nostrates est mensura, quam Hippocr. Lib. I. de Morb. Mulier. §. 98. text. 1. sq. profert, dum ait: Prodeunt Puerperii purgamenta sanæ mulieri sufficienter ( hucusque bene ) primum sesquieminæ mensura, aut paulo plura, postea adhuc pauciora, juxta hanc rationem, donec cessent: prodeunt autem velut sanguis a victima, si sana velut dixi mulier fuerit, & sana futura est - - & post partum plerumque sanæ mulieri contingit, ut post puellæ partum in quadraginta duobus diebus diuturnissima purgatio fiat: extra periculum autem est etiam si viginti quinque diebus purgetur: Post masculi vero partum purgatio diuturnior fit in triginta diebus, extra periculum est etiam, quæ in viginti diebus contingit: quare

paulo ante Hipp. dicit: *Si nec mulier sana sit, nec sanitatem consecutra, tum purgatio parcior & specie quidem deterior est: vid. Cordæus l.c. comment. 3. p. 210. & comment. 6. p. 411.* Mercatus Opp. Tom. IV. Lib. 4. cap. 9. & 10. dicit: *quod naturalis post partum purgatio necessario copiosa esse debeat: illud interim hoc loco allegare placet, quod aliquibus Lochiorum fluxus longinquior & durabilior sit, aliis brevior, quibusdam largior, nonnullis comparate parcior: quare fæminis eminenter plethoricis, de calido temperamento participantibus, diæta spirituosa fruentibus, frequenti animi corporisque commotione occupatis, naturali modo, solito more, aut ex hereditaria dispositione largiore sanguificationem & menstruam purgationem subeuntibus, frequentioribus & acerbioribus orgasticis sanguinis commotionibus obnoxiis, laborioso partu exercitatis, medicamentis calefacientibus tractatis, succulento habitu corporis præditis, majori uterina placenta qualificatis, exæstuationibus sanguinis venereis deditis &c. regulariter quasi, largius Lochia fluere solent & debent, ita ut non nude corporis molem & extensionem, sed & morum ac motuum virtutem æstimare & conciliare debeamus: proinde etiam medici, ut modo indicavimus, Mensum & Lochiorum statum comparare solent; hinc ex Sylvio Bonetus in Polyalib. Lib. V. de Affect. Mulier. cap. 25. p. 328. judicat: *quibus naturaliter Menstrua solent esse parca, nec mirum nec noxium est Lochia fluere pauca, quin salutare potius ac utile: Et quamvis fæminæ hunc fluxum melius ferant, si largior est, quam si parcior fuerit, ut propterea Primerosius de Morb. Mulier. Lib. 4. c. 10. p. 330. eloquatur: Puerperæ parum differunt a vulneratis,* nisi*

nisi quod in illis sanguis largius fluat, & diutius quam in  
 vulnere; tamen idem author p. 331. de modo allegato  
*Hippocratico* termino, Lochiis constituto dicit, non est  
 omnibus idem terminus; & porro: variari potest hæc men-  
 sura pro regionum, temperamenti diversitate ac vietus ra-  
 tione: pergit mox: igitur puerperam libere convenit & li-  
 beraliter purgari, secus plurimis subjicitur morbis: Quod-  
 si itaque per initia hic Lochiorum fluxus liberalius & ve-  
 getius processerit, tunc si maturius iterum cessat, sup-  
 pressus haud dicendus est, & si moderate succedens, pau-  
 lo diutius continuaverit, pro excedente declarari haud de-  
 bet: quam ob rem hic sanguinis fluxus terminum etiam  
 suum involvit, qui ex præcedentibus causis, qualitatibus  
 & circumstantiis, nec non fæminarum viribus dijudica-  
 ri debet: nec tamen illæ rariores historiæ commune ju-  
 dicium turbare & impedire possunt, quando *Salmuth*  
*Lochia puerperæ nulla*, Cent. 3. obs. 89; *Hagendorius* *Lochia*  
 nec ante, nec post partum videntem prægnantem Cent. 3. hist.  
 9. p. 293, *A. N. C. Lochiorum defectum perpetuum*, in fæmi-  
 na sana saepiusque puerpera facta Dec. I. an. 3. obs. 265. *Stalp.*  
*Van der Wiel* obs. 78. *de Puerpera absque Lochiis* (in annot.  
 ad hanc observ. allegantur casus analogi ex *Scbenckii Lib.*  
*4. Marcelllo Donato Lib. 4. c. 23. Rhodio Cent. 3. obs. 54.*) com-  
 memorant: hinc *Bonetus l.c. ex Sylvio* dicit: raro nullus  
 observatur *Lochiorum fluxus*, NB. nisi cum evidenti *Puer-*  
*peræ noxa*: ea propter ex eo, quod ut plurimum contin-  
 git judicium formandum est, tales enim casus præter  
 reliquam raritatem valde sunt *ambigui*, ut juxta illos, re-  
 liqui consueti æstimari haud queant: notandum tamen  
 quod *Hagendorii* mulier juvencula *phtisica* fuerit, &

mox post partum febre ardente afflita *expiraverit*, altera etiam *hydropica extitit*, adeoque ob rationem *adversae sanitatis Lochia non experta fuit*: *alia fæmina*, cuius in *A.N.C. Volcamerus ex relatione Ayreri mentionem facit*, *singulares possidet qualitates*, cui *ominosum commercium cum genio quodam intercessit*: *alia fæmina allegatur a Cummeni in A.N.C. l.c. obs. 132.* de qua author enarrat, quod in eadem *puerpera facta exigua*, *vel vix sensibilis Lochiorum secuta sit purgatio*; refert vero de eadem: *est autem hæc fæmina pauci sanguinis*, adeo ut *vix semel intra trimestre utero, ut ipsamet mihi retulit, purgetur Salmuthus de suo exemplo commemorat*, quod sit *siccissimæ constitutionis*, & variis morbis, *toto imprægnationis tempore conflictata fuerit*: addimus denique exemplum, quod *Sommerus in A.N.C. Dec. 2. an. 1. obs. 41. sub tit. Mulier nec ante, nec per, nec post partum Menses aut Lochia passa & ex illis Bonetus in Medic. Septent. Part. II. Lib. 4. Sect. 3. obs. 1. p. 110. nec non in Polyalb. l. c. p. 397. recenset*: ex plurimis vero hisce exemplorum speciminibus inclarescit, quod *peculiares concurrant circumstantiæ*, quæ ad *communem applicationem duci haud possunt*: quare *immunitio & suppressio Lochiorum ut plurimum morbosa & ominosa existit*: Denique anneximus casum fæminæ hujus urbis, quæ *antequam primas Mensium eruptiones subiit*, in *matrimonium ducta*, valde *irregularès conceptiones*, *imprægnationes*, *gestationis progressus*, & *partus passa erat*: hæc in quinto partu *nulla fere Lochia experta fuerat sine singulari detrimen-*  
*to*, cui statui *quartâ puerperii septimanâ supervenit periculosa purpura*: hæc fæmina sextum partum postea  
*satis*

satis prompte toleravit & expedivit, quem, dum iterum  
*Lochiorum imminutio* exceperat, tandem accidit, ut post  
 ingestum cerevisiae frigidæ potum, *subita* eadem morte  
 extincta fuerit: Fæminæ cui *nunquam Menses & Lochia*  
*exigua* fluxerant, reminiscitur *Hildanus Cent. 5. obs. 41.*

## §. III.

Præmissa hac generali præparatione, nunc *Historiam*  
*Suppressorum Lochiorum* tradere lubet: in illa vero  
*subjectorum qualitates* aliquas, ad hanc alterationem *fa-*  
*cilius* disponentes, enarrare lubet: utut vero *omnes pu-*  
*erperæ* in *Lochiorum successu* alterari & *turbari* possunt,  
 & pro diversitate ac *relatione* causarum etiam *interdum*  
 solent, tamen ob *peculiares* qualitates *una præ altera*  
*majorem proclivitatem* in turbas hasce habere solent:  
 quare fæminæ ob certas causas, si *eminenter plethoricæ*  
 sunt, *Lochiorum Suppressioni* subjiciuntur, quando *forti-*  
*or congestoria commotio* *uterum sanguine obruit*, *nimi-*  
*umque* opplet, ut turgida hæc tam *substantiæ musculosæ*,  
 quam *vasorum sanguiferorum* oppletio & accumulatio  
*sanguinis* per rationes concurrentes *physico-mechanico-*  
*hydraulicos*, liberum effluxum copiosi illius sanguinis *im-*  
*pediat*; siquidem aliæ *turgida* hæc humorum plenitudo  
*liberum* illorum progressum *impeditiorem* reddere &  
 valde turbare solet, dum ob *nimiam partium impletionem*  
 facile *infarctus & stagnationes* oriuntur: & hoc tanto *fa-*  
*cilius* contingit, si hæc *turgida* sanguinis abundantia vel  
 per *laboriosum ac difficilem* partum, vel ob usum *cale-*  
*facentium* mediorum & remediorum valde commota &  
*orgastica* agitatione impulsa fuit, vel si ob *constitutionem*  
*reliquam corporis calidam* non modo sanguis alioquin

ad.

admodum *subtilis* & ad *ebullitiones* pronus, sed & *motus*  
 ad *excessus* cœterum proclives sunt: proinde hic *eximie*  
*pletboricus* status, cum *spissitudine* *mediocri* humorum  
*conjunctus*, tanto *facilius* prædictas Lochiorum suppres-  
 siones causari potest & solet, quando facile *aperturæ* il-  
 læ, sanguinis emanationi ac *profluvio* patentes, tali san-  
 guine, duplii *præjudiciosa* qualitate prædicto, obruuntur  
 & *obstruuntur*: præterea multum ad hanc Lochiorum  
 oppressionem contribuit *crassities* sanguinis, quæ sub *gra-*  
*viditatis* statu tanto *facilius* augescit, adeoque *prævio par-*  
*tu* commota ad tales *occlusiones* inferendas facile dispo-  
 nit: proinde subiecta *torpidioris* temperamenti, velut  
*pblematica*, *eminenter* talia, & cum *melancholico* tempe-  
 ramento conjuncta in *omnibus* excretionibus facile *defe-*  
*ctum*, quam excessum experiuntur, in quibus *mucida*  
 sanguinis intemperies, concurrente *flacciditate* uteri post  
 partum, & prædicto *motuum languore* ac *neglectu*, talem  
 Lochiorum imminutionem provocare potest & solet:  
 quando porro subiecta valde *debilia* sunt, perinde tunc in  
 iisdem Lochialis fluxus *defectus* ingruit, quæ debilitas &  
*infirmitas* nonnullis subiectis *connata*, aliquibus ex *gravi-*  
*ditatis* statu *morboso* & *partu* *periculo* ac *difficili* adscititia  
 est: qui *totalis* virtutis *motricis* status *infirmus* in hoc ne-  
 gotio purgaminis uterini post partum, ominosos tales de-  
 fectus infert: deinde Lochiorum *defectivum* fluxum faci-  
 lius experiuntur subiecta *siccioris* *habitus corporis*, in qui-  
 bus *fluidæ* partes citius *congruescunt* & *solidæ* contra-  
 huntur, quemadmodum alias *fluidæ* partes per *aridas* *so-*  
*lidias* ægrius progrediuntur; quicquod ut plurimum *sic-*  
*citas* partium *solidarum*, *crassitiem* & *visciditatem* *fluida-*  
 rum

rum conjunctam habet , quæ utræque qualitates libero  
 Lochiorum successui perquam contrariantur : Deinde  
 subjecta, quæ antea difficulti, parco, impedito ac anomalo  
 Mensium successu laborarunt, æque facile similes Lochia-  
 lis fluxus qualitates experiuntur , sicut in præcedentibus  
 §. I. hanc Mensium & Lochiorum convenientiam annotavi-  
 mus, qualem collationem Lochiorum cum menstruis insti-  
 tuit Duretus in Hollerium Lib.I. cap. 58. de Morb. intern. &  
 Dolæus Encyclop. Med. dogm. Lib. 5. de Morb. Mul. c. 8. §. 3.  
 dicit: *Mulieres, quibus copiosa fluunt Menstrua, etiam Lo-*  
*chiorum fluxum patiuntur largiorem:* Subinde subjecta,  
 quibus molestæ & tenaces alvi retentiones ac obstruc-  
 tiones familiares sunt, ut plurimum Mensium & Lochiorum  
 successum difficultem & insufficientem experiuntur; hinc  
 Bartholinus in Act. Haffn. Vol. 2. obs. 5. p. 7. dicit: memini  
 in puerpera parciorum Lochiorum fluxum, alvi liberaliori  
 obsequio compensatum & Ranchinus de Morb post Partum  
 c. 5. ait: quémadmodum alvi clausura Lochia retinet, ita vi-  
 cissim liberatio hæc facilitat: hinc plurimi medici ad Lo-  
 chiorum promotionem alvi liberationem commendant.  
 conf. Bartholinus Act. Haffn. Vol. 2. obs. 5. p. 7. Cent. 3. hist.  
 17. Mercatus de Morb. Mul. cap. X. &c. Multum insuper  
 ad Lochiorum retentionem contribuit, magna Sensibilitas  
 in subjectis obvia, quæ levissimas offendionum causas, ce-  
 leri & potenti effectu percipit, ac in præjudiciosas relationes  
 & operationes conjicit, imo in perturbationes totum Pro-  
 cessum Lochiorum facile convertit, quoniam illa in mo-  
 rium vitia excessiva, aut defectiva cito & prompte delabi-  
 tu : Præter hæc momenta in subjectis etiam adverten-  
 da est proclivitas distincta ad repentinæ & efficaces stri-

*eturas partium spasmodicas*, aut ad intemperiem aëris frigidiusculam percipiendam, welche sehr frostig sind: utraque qualitas facile suspectas, firmas ac præcoces *uteri constrictiones* causari solet, unde Lochiorum successus cito reprimitur: tandem etiam *tenera partium constitutio non parum* ad hunc affectum contribuit, quando post partum uterus cito *collabitur*, ac *tenera vasa sanguifera comprimit*, ut sanguinem aut *insufficienter*, aut *plane non profundant*: quæ qualitates, præter alias plures, in hujus suppressi Lochiorum fluxus consideratione, probe annotandæ & ad usum *practicum applicandæ* sunt.

## §. IV.

In *Historica commemoratione Suppressionis Lochiorum*, quoad modum, gradum ac tempus notandum est, quod Lochia interdum subito post partum simul & semel retineantur, ut nihil sanguinis ex uterinis locis effluat, indeque ut plurimum *confestim* ac magna vehementia *morbosa* pathemata irruant: in aliis puerperis post partum Lochia *parcius & difficilius* succedunt, donec post paucos dies omnimode cessent, ac tragœdiam suam *morbosam* aperiant: in quibusdam Lochia primo & altero die *legitime*, nec tamen excessive effluunt, mox vero subito supprimuntur; in aliis *primo post partum die largiter* Lochia fluunt, postea vero *confestim* opprimuntur, in aliquibus sub *parco successu præmature* quarto aut quinto die retinetur Lochiorum fluxus, & hoc etiam modo *defectum* ac suppressionem quandam testatur, cum quo ultimo statu æque *morbosæ afflictiones coincidunt*; ipsa vero signa, *suppressa Lochia* denotantia, *Hipp. Lib. I. de Morb. Mulier. §. 58. text. 2. sq.* ita describit: *cum mulie-*

ri partus purgamenta non fuerint purgata -- dolor habet  
 lumbos & lateris mollitudinem & inguina & femora & pe-  
 des amare dolet, & venter attollitur, & horrores per cor-  
 pus discurrunt: ex talibus autem febres sunt acutæ: hanc  
 signorum relationem continuat Hippocr. seqq. s. & varias  
 morbosas afflictiones commemorat, quæ Lochiorum defe-  
 ctivum successum excipiunt: inter illa allegant tumor  
 crurum & ventris, rigor & dolor ventrem ac lumbos affli-  
 gens, viscera plane occupans, animi deliquium, febris,  
 rubor faciei, perfrigeratio, pulsus debilis, celer, acutus, dolor  
 articulorum in manibus, cruribus & lumbis, impotentia spi-  
 næ, inguinum colli, urina fuliginosa, (quam Mercatus de  
 Puerper. & nutric. affect. c. X. Rodericus a Castro de Morb.  
 Mul. Part. 2.c. XI.p.301. ex Galeno allegant) uteri inflam-  
 matio, cibi fastidium, vigiliæ, puncturæ, secessio nigrorum,  
 graveolentium &c. qualia signa ex Hipp. Celsus Roderic. a  
 Castro de Morb. Mul. P. 2.c. XI.p.301. Mercatus l.cit. Pri-  
 meros. de Morb. Mulier. Lib. 4.c.10. p.332. Mercurialis, Sen-  
 nertus, Ettmüllerus &c. ubi de Loeb. diminut & suppr. a-  
 gunt, recensent: ex hac commemoratione facile incla-  
 rescit, quam attente antiquiores Medici morbosæ pathe-  
 mata annotaverint, quæ Lochiorum suppressionem, specie  
 diversa ac numeroſa, proxime & successive excipere solent:  
 Seorsim vero illa nunc recensenda erunt: quare utpluri-  
 mum corripit distincta angustia in abdomen & præcordia-  
 li regione affligens, conjuncta cum eximia inquietudine,  
 has regiones molestante; siquidem dolorificæ tensiones  
 spasticæ, aliquando hysterico - convulsivæ, colica convulsi-  
 va, angentes abdominis distensiones, inflationes, pressio-  
 nes, interni ardores, alvi & urinæ retentiones, tenesmi &

*Spastici conatus urinæ excretionem cum magno angore comitantes, oppressiones respirationis, convulsivæ uteri agitationes, lumborum valde affligentes tensiones, præcordiales suffocativæ angustationes, spasmi ventriculi valde dolorifici, morsicantes illius molestiæ, colico-lipothymico-emerica pathemata, inflationes angustantes hypochondriorum, vomitus cum syncope alternantes, ardor ventriculi & anriuctus, ardor in genitalibus, inflammatio præc. uteri, febris continua cum magna angustia conjuncta, rigor superficie corporis & connexa perfrigeratio extreborum, quæ signa ultima uteri inflammationem indicant, sudor frigidus, summa virium prostratio, vehemens ebullitio sanguinis, cum magno angore & æstu sociata, multæ vigilæ, eximia animi ac corporis inquietudo, dolores immensi capitum, strangulatio faucium hysterica, siccitas nimia interna & oris, dolores modo in dextro, in aliis fæminis in sinistro hypochondrio, adeoque in hepate & liene, harumque partium confiniis oriuntur, quandoque has partes corripit inflatio, tumor & angens alia afflictio, sicut Diermerbræck obs. 19. talem affectum spleneticum commemorat, qui Lochiorum suppressionem fecutus est: aliquando hunc affectum comitantur & excipiunt, morbi pectoris & capitis, velut asthmata spastica (Sylvaticus Cent. IV. cons. XI. recenset casum Lochiorum post abortum suppressorum, utpote causam præfocationis uterinæ, angustiæ sub costis mendosis, cum frigiditate partium inferiorum sinistri lateris) suffocativæ comminationes, palpitationes cordis, angina, peripneumonia, molimina hæmoptyica, actualis hæmoptysis, (vid. Cordæus Comment. 4. in Hipp. Lib. 1. de Morb. Mul. p. 278.) catarrbus suffocatus, consequens phthisis (qualem phthi-*

*pbtbisin ex Loch. non rite fluentibus ortam recenset Cottier  
obs.ii.) huc pertinet relatio Mercati de Puerper. & nutricum  
affectionibus cap. 10. quippe vel febres, ait, vel difficiles respi-  
rations, anginas, pleuritides, paraplexias, maniam, melan-  
choliam ac non raro phrenitidem fieri conspicimus, vel in u-  
tero grave aliquod malum, ut optime animadvertisit Avicen-  
na 21. 3. tr. 2. c. 35. quod intelligere oportet nisi sudor aliquis  
copiosus erumpat, quem millies fæminas ab his periculis eri-  
puisse experimento didicimus: quædam fæminæ gravissimis  
doloribus capitis, phrenitide, deliriis, insultibus apoplecticis  
aut actuali Apoplexia corripiuntur: ita Bollonius Epidem. p.  
214. recenset casum de *Lochiorum suppressione cum difficulta-*  
*te spirandi febri assidua, deliriis; nonnunquam hunc affectum*  
*subitanea stasis sanguinis in abdomen, aut convulsiva visce-*  
*rum contractio & simultanea oppressio thoracis, pulmonum,*  
*& cordis ac repentina mors obruit: ex quibus singulis signis*  
*facile constat, quam multiplex, numerosa & discrepans pathe-*  
*matum morbosorum, Lochiorum suppressionem excipi-  
entium congeries sit ac caterva.**

## §. V.

Hisce commemoratis signis adhuc plura in *histo-*  
*rica illorum enarratione, socianda sunt: facile itaque*  
*Lochiorum defectum sequuntur febres continuæ sic dictæ*  
*putridæ (vid. Guldenklee Lib. IV. de Morb. Mul. cas. 34. de*  
*Febre continua ex Lochior. suppr.) aut inflammatoriæ, ali-*  
*quando continentes, non raro purpuratae, (conf. D. D.*  
*Præsidis disp. de Purpura Puerparum) molesti & an-*  
*gentes orgasmi sanguinis, cum suspecta perborrescentia*  
*superficiei corporis & extremitatum alternantes, dolores*  
*angustantes, præcordia velut opprimentes, vertigines su-*

spectæ, obscurationes oculorum, crebræ lipothymiaæ, pulsus  
 nunc febris, nunc durus & magnus, nunc debilis, tardus,  
 inæqualis, intermittens, sudor anxius & frigidus, dolores  
 pulsatiles, modo in abdomen, modo in capite, facies torva,  
 anxia, aliquando inflata & rubicunda, dolor capitis quan-  
 doque lancinatorius, interdum gravatus & radicem na-  
 rium pressorius, sub omni molimini hæmorrhagici, per  
 nares exitum quærentis, quemadmodum *Cordæus Com-*  
*ment.* 4. p. m. 278. *Mercatus I. c. p. 378.* *Salmuth. Cent. I.*  
*obs. 89.* & *A.N.C. Dec. 1. an. 2. obs. 184.* *Hoffmannus in not.*  
*ad Hartmanni Prax. chymiatr. p. 872.* *Lochiorum per nares*  
*fluentium mentionem faciunt: aliquando dolor eximus*  
*intestina afflit & quidem intestinum rectum cum ardo-*  
*re, aggravante expressione & tenesmo conjunctus, hinc*  
*Lochia per alvum erumpunt. vid. Bartholinus Cent. 3. hist.*  
*19:* quasdam fæminas corripit eximia virium prostratio,  
 cum tremore & refrigeratione membrorum: quædam a  
 retentis Lochiis in deliria vel transitoria & cum febre con-  
 juncta, vel chronica incident: *Sylvaticus Cent. 1. conf. 59.*  
*Melancholiæ a suppressis Lochiis recenset: in aliquibus fæ-*  
*minis congestio humorum a suppressis Lochiis mammas ve-*  
*hementer occupat, & in illis graves dolores, suspectos tu-*  
*mores, quin plane periculosas corruptiones causatur: quan-*  
*do Purpura Lochiorum defectum sequitur, tunc commu-*  
*niter febrem, gravissimam præcordialem angustiam, lipothy-*  
*mias, virium prostrationes & deliria causatur conf. Brefl.*  
*Gesch. 8. Vers. p. 737:* ita porro facile a *Lochiorum* turbis  
*Pleuritis* originem trahit, quemadmodum casum *Pleuriti-*  
*dis* ex *Lochiorum* suppressione enarrat *Guldenklee Lib. IV. de*  
*Morb. Mulier. cas. 35.* quo pertinet historia, quam recen-  
 set

set Riedlinus Lin. Med. An. 2. Januar. obs. 31. p. 50. de Pleuritide per Locbia soluta, sicut status Puerperii ob alias etiam causas cum Pleuritide conspirare solet, testante Riedlino loc. eod. & Valleriola Lib. V. obs. 10. Schenckius Lib. 4. tit. de puerperis. obs. 7. de puerpera pleuritica. ex Douyneto in apolog. de Podagra. conf. Rod. a Castro, Primerosius loc. cit. præter hæc signa ex Locbiorum suppressione recenset porro Binninger Cent. I. obs. 59. Sensum refrigerii in spina dorsi & soporem sine febre, qui author Cent. 2. obs. 45. hunc casum profert sub tit. de Affectionis hystericæ variis symptomatis a Lochiorum suppressione, cuius verba allegare lubet, quoniam historicam præsentem tractationem illustrant: paucis a puerperio diebus mediocriter a Locbiis purgata letum deserit, rigido tunc cælo invisentes se mulierculas ad domus infimas scalas sæpius comitata, inde magis adhuc immixtis & suppressis purgamentis, prout impuritates regurgitantes has vel illas partes per se, vel per consensum afficerent, diversa accesserunt symptomata: capitis gravitas & in somnum propensiō, dolor lateris dextri pungens vagus, inque scapularum articulationibus insignis, cum decubitu in solam spinam facili. Sputabat sanguinem tenuem, modicum & subflavum, filamentorum specie pituitæ confusum, sat longis intervallis, noctu maxime post levem tussiculam: sentiebat in collo quasi suffocantem globum, urebat febris continua, cum pulsu debili & celeri; cuius ardore linguæ latera in longitudinem tandem denigrata sunt: comitabantur inappetentia, sitis, copiosi sudores quotidiani, imprimis sub noctem, cum lipothymia; alvus dura & laboriosa erat & non nisi clysterum injectione subducenda: in urina fuliginosi quid apparebat, quæ etiam debilitata vesica, aliquoties

ties involuntarie tandem profuebat : allegavimus autho-  
 ris verba eapropter, quoniam in hac ægra concurrerunt  
 symptomata, quæ in aliis tanto numero conjuncta esse  
 haud solent : quædam fæminæ sanguineo-cholerici, aut  
 sanguineo-melancholici temperamenti ob Lochiorum sup-  
 pressione articulorum morbis, quos multi præcipue an-  
 tiquiores medici annotant, corripiuntur, velut arthriti-  
 cis, aut arthritico-rheumaticis, quales spastici morbi a-  
 liquando pertinaces evadunt, ut non modo in longiora  
 tempora se extendant, sed & interdum fatalem & ægre  
 curabilem contracturam post se trahant, aut paralyticor-  
 um affectum accersant : Henr. ab Heer obs. 14. p. 182. ex Lo-  
 chiorum imminutto fluxu recenset ortam inflammationem  
 uteri & febrem, addit: dolebant præter inguen, costæ &  
 coxae & de capitis media postremaque parte, multum que-  
 rebatur: alvus & vesica parum vel nihil excernebant, re-  
 spiratio brevis, pulsus crebri, exiguae lipotymiae : quæ-  
 dam fæminæ a Lochiorum defectu vexantur molestiis &  
 moliminibus hæmorrhoidalibus. conf. D. D. Præsidis disp. de  
 Hæmorrhoidibus Gravidarum & Puerarum, Wiel l. cit.  
 non raro Lochiorum imminutiones varia ventriculi incom-  
 moda causantur. vid. Riedlinus Lin. Med. An. 5. Mart. obs.  
 13. p. 256. quin plane externum corpus aut tuberculis, re-  
 ferentibus Bartholino Aet. Hoffn. Vol. 2. obs. 5. & ex hoc Bo-  
 neto Medic. Septentr. Vol. 2. p. 112. obs. 4. aut herpete miliarie  
 recensente Gockelio Dec. 3. obs. 1. inficitur & defœdatur.  
 Hildanus Cent. 5. obs. 43. recenset historiam fæminæ, quæ  
 per totum corpus scabie laborabat, cum partium musculosar-  
 rum extenuatione quadam, cui facies quoque nonnihil de-  
 formis & torva erat: inciderat autem in morbum hunc  
 propter-

*propterea quod in puerperio ante annum non satis expurgata fuerat.* Imo denique evenit, ut suppressionem Lochiorum aliquando *fætidæ materiae* effluxio extra uterum, aut *pessima ipsius uteri corruptio*, vel *ulcerosa*, vel *sphacelosa* excipiat, quem eventum plurimi medici, qui Mulierum & præcipue *Puerarum* morbosas afflictiones descripsérunt, referunt: *conf. Rod. a Castro, Mercurialis, Mercatus, Primerosius loc. cit.* ex quibus omnibus vero jam satis inclarescit, quanta malorum caterva ac copia hanc Lochiorum perturbationem sequi soleat, ex quibus quædam cito & *confestim*, alia *successive*. ( *conf. Riedlinus Lin. Med. An. 5. Mart. obs. 13. p. 256. de ventriculi inflazione puerperium subsequente, in quo casu negligens Lochiorum directio accusatur* ) corripiunt, quas circumstantias in *historica* hujus thematis explicatione nosse convenit.

## §. VI.

Nunc in altera *Historiæ medicæ* Parte, quæ *Prognostica* est, quasdam observationes proferre lubet, quæ *successum* ac *eventum* hujus morbosí affectus respiciunt: quam ob rem ante omnia sciendum, quod plurimi medici ex judicio Galeni *Lib. 3. epid. part. 3. comm. 73.* Lochiorum suppressionem periculoseorem declaraverint, quam *Mensium* retentionem: hinc *Langius Lib. 2. ep. XI.* ait: *apparet itaque suppressa in partu purgatione in muliere morbos gigni: Suppressio quippe Mensium morbosa est, sed non ita noxia, ut illa quæ partu fit.* *Mercatus l.c.* dicit: *Mensium suppressio omnis, quæ fit ex aliqua causa præter naturam, mala omnino est, eo tamen deterior est, quæ fit in puerperis, a partu, & *Primerosius l.c.* ait: nam si suppressio omnis Menstruorum laedere solet, multo magis si a partu sup-*

D

pri-

primantur, idem testatur Ben. *Sylvaticus Cent. 4. cons. XI.*  
*p. 304. a. Mauriceau aphorism. 259. Sennertus l.c. multique*  
 alii: ex retentione enim sanguinis in utero facile *corrumpio* illius & ipsius uteri provenire potest & solet; quare *Hippocrates Lib. 1. de Morb. Mulier.* & ex hoc *Mercatus* profitetur: ut vero ulcera in utero possunt nasci lochiis non purgatis: porro dicit: interdum mali fere moris puerperia funduntur & purulenta & tetri odoris, quæ qualitates non raro corruptiones produnt: hinc facile concludendum est, quod diuturna sanguinis Lochialis retentio facile talem ominosam corruptelam causetur: quando in fæminis calidi temperamenti, plethoricis, diæta spirituosa frumentibus, laborioso partu commotis, calefacientibus regiminibus & medicaminibus tractatis, largioribus Menstruis profusionibus adsuetis &c. subito & simul ac semel Lochia supprimuntur, tunc status periculosior est, ac acuti ut plurimum morbi subito superveniunt: paulo rigorosius judicium de morbis & febribus, Lochiorum suppressionem sequentibus, fert Raymundus *Job. Fortis de Morb. Mulier. sub tit. Febres putridæ Puerperarum*, quando elquitur: *Morbi & Febres*, quæ a purgatione puerperii suppressa proveniunt, ut plurimum occidunt, & potissimum in fæmellæ partu: quando subito lochiis suppressis acuti morbi & inflammations præc. diversarum regionum superveniunt, eo periculosior tunc totum morbi schema existit: quo majora virium decrementa accidunt, eo acerbior status morbi est: affectus *syncptici* Lochiorum suppressionem excipientes, semper ominosorem & periculosorem statum afflictionis afferunt: rationis perturbaciones aut deliria, in hoc casu occurrentia, deterioris qualitatis

tatis sunt, & licet *phrenitica* pathemata cum reliquo morbo statu decurrant aut desinant, tamen *melancholia*, aut *stupor*, a *Lochiorum defectivo* vitio oriens, facile *chromicam* qualitatem induit, aut quasdam fæminas nunquam deserit: *Purpura* cum *Loch.* suppressione concurrens, semper *suspecta* & *gravis*, ut plurimum *periculosa*, sæpe *funista* est; tanto *majus* vero periculum illius esse sollet, quo magis fæminæ sunt *pletoricæ*, calido temperamento præditæ, *sensibiles*, *debiles*, aut *dyscrasia* alia humorum præditæ, aut sub *graviditatis* statu *alvo strictiori* afflictæ fuere. Affectus, qui ob *Loch.* suppressionem *subito pectus* obstruunt, & *respirationem* angunt & opprimunt, valde sunt periculosi: quando *retentæ* *Lochia* post brevem moram non revocari possunt, *periculosior* est status & *graves* consequuntur affectus: hinc in annotatione ad obs. 19. *Diemerbrockii* proferuntur verba: aliquoties observavi, *Lochia* paulo post partum suppressa, nisi intra tres quatuorve dies medicamenta citentur, postea medicorum ope aut difficulter, aut omnino non posse promoveri, sed gravium sæpe morborum causas fieri, qui morbi interdum statim, interdum post aliquos dies, interdum ante tertiam, quartamve septimanam non manifestantur: quando *Loch.* suppressio non confessim morbosas infert consecutiones, tunc post largiorem moram certius *intricata* excipiunt pathemata: testatur hoc præter varios medicos in casu aliquo *Riedlinus Lin. Medic. An. 6. Mens. August. obs. 10. p. 890.* sub tit. *Lochiorum fluxum inhibitum diu post sequentia mala*: quo loco author monet: huic fluxui rite se habenti haud minima iniciatur remora; si enim vel maxime eandem injectam non statim graviores excipiunt morbi, subinde tamen vel aliquot annis post, ii succedunt;

dunt, quos aliunde commode derivare vix poteris: Si Lochia mox post partum strenue & largiter succedunt, subinde vero repentina & subitanea illorum suppressio sequitur, gravissimi & periculosissimi affectus irruunt: hinc idem Riedlinus l.c.p. 891. suadet, quo cautum se gerere debet medicus, ne in sanguine lobiali, nimium etiam profluente, sistendo properet, cum saepius aliquid peregrini in utero adhuc contineri, indicet, quo una cum eodem tandem ejecto, tantum non semper sponte cessat &c. subnectit epiphonema p. 893. quae itaque sanitatis suae decentem agere vult curam, ne fluxum Lochiorum impedit, quovis modo sit sollicita, si vero quacunque de causa impeditur, ut statim iterum promoveatur, omnem moveat lapidem, cum quo diutius occlusus est hic fons, eo difficilius reseretur: Lochia suppressa, nec commode & facile in ordinem reducta, facile in futurum graves turbas Mensium negotio communificant.

### §. VII.

Communiter Loch. suppressionem tumor abdominis sequitur, ut in casibus Practicis confirmant Waldschmied in Colleg. Med. Pract. in Timaei a Guldenklee casus Medic. Lib. IV. cas. 26. & Lentilius in Miscellan. Med. Pract. p. 102: quod si vero tumor ille durus, cum internis doloribus lancinatoriis ac ardentibus, nec non angustiis magnis præcordialibus conjunctus fuerit, eo periculosior tunc affectus præsentis status est: Quando hunc affectum singultus comitantur, aut apoplecticus, strangulatorius, suffocatus, paralyticus, colicus convulsivus, hysterico-epilepticus affectus excipit, valde pericolosum signum est: Si hunc affectum uteri hydrops, aut carcinoma, aut tymanites, aut ascites, aut

aut hec<sup>t</sup>ica excipiunt, eximie periculosus est morbi status: tussis sicca & valde urgens, pertinax alvi & urinæ retentio, asthma angens, status cæchecticus & œdemata Lochiorum suppressioni supervenientia, valde intricatum ac pravum affectus statum reddunt: de affectibus acutis, Loch. suppressionem excipientibus, judicat Waldschmied loco cit. quod puerperas brevi temporis spatio jugulent: annotanda etiam est illa observatio, quod Loch. suppressionem interdum alvi fluxus sequatur, de quo ita judicat Mercatus l. c. Nam si in utero præsit is sanguis (vid. a Lochiis suppressis) inflammationes & alia vitia excitare habet, si autem in universo corpore ut II. Prorr. comm. 48. restatus est Galenus, varios morbos & pericula afferit, pro varia natura partium, in quibus sanguis ille colligitur atque hic idem accidit, præf. morbo aliquo affectis, alvum pro utero fluere, quod profecto difficilis judicationis non raro causa existit, quod non sit conveniens illa vacuatio neque regio: solet non minus lochialis purgatio imminui alvi fluxu superveniente, quo fit, ut per uterum solum natura excernat, quod lochialis purgationis, seu puerperii tenue est, crasso intus manente, dilabenteque in vasa lumborum, crurum ac ventris, quo acerbissimi concitantur dolores. Contrariam observationem allegant A. N. C. Vol. 1. obs. 168. De Lochiorum suppressione per Diarrhœam sanata: & Bartholinus Aet. Haff. Vol. 2. obs. 5. p. 7. dicit: memini in alia puerpera parciorem lochiorum fluxum alvi liberaliori obsequio compensatum. Cent. 3. hist. 19. Bartholinus dicit: novi puerperas, quibus nulla Lochia post partum successerunt, magno vitæ discrimine: injecto vero clystere simplici, alvoque soluta convaluerunt, quibus diarrhœa loco sanguinei purgamentis

fuit saluti: addit exemplum propriæ suæ conjugis, cui  
 parçissime Lochia fluxerunt, quæ continua fere aliquot di-  
 erum diarrhæa sine ulla virium jactura purgata fuit: conf.  
*Primerosius l.c. p. 331.* qui a suppressione Lochiorum va-  
 rios morbos deducit, addit: nisi succedat alia vacuatio, ut  
 alii fluxus, hæmorrhagia, sudor copiosus, ut advertit Avi-  
 cenna. *Dionis de generat. & partu hominis. Lib. 4. cap. 9.*  
 in fin. *Lentilius l.c. p. 103.* de ægra Loch. suppressione la-  
 borante referunt, quod in illa diarrhæa vebemens insecura  
 fuerit, a qua licet valde debilitaretur, banc tamen Lochio-  
 rum vicem gesturam author prædixit, hinc non sistendam  
 censuit, quæ etiam postea convaluit; & quamvis alioquin  
 in Puerperis Diarrhææ ut plurimum mali ominis existant,  
 tamen in casu suppressorum Lochiorum aliquando aliam  
 efficaciam habere solent, quamvis tamen hæc salubritas  
 non perpetua, sed discrepans sit, ut propterea Mercati ju-  
 dicium salvare queat, quod videlicet difficultis judicatiōnis  
 talis superveniens alvi fluxus existat: In fæminis aut va-  
 letudinariis aut valde pleroricis subitanea & simultanea  
 Lochiorum suppressio repentinæ aliquando mortis causa  
 evadit: vid. *Lancisius de subitaneis mortibus cap. 19. §. 15.*  
 epilepsia suppressis Lochiis supervenientes, ut plurimum  
 valde periculose, imo aliquando subito funestæ sunt: quan-  
 do post Loch. suppressionem diutius ex utero effluit ma-  
 teria fœtida, ichorosa, semi-cruenta, & subinde interni  
 dolores ardentes, prurientes, cum spasmis, tenesmis, alvi  
 obstruzione, urinæ retentione &c. concurrunt, malum &  
 ulceris maligni in utero obvii signum est: Si a suppressio-  
 ne Lochiorum magnæ angustiæ præcordiales, crebræ lip-  
 thymiæ, eximius orgasmus sanguinis, deliria, dolores spa-  
 stici

stici in membris *externis*, magnæ virium prostrationes, minosæ *agrypniaæ*, *vomitus* & *febris* oriuntur, communiter *Purpura* ominosa ingruit: aliquando *Lochia* tuppresa transitorios œdematosos tumores post se relinquunt: tandem notare convenit, quod communiter in fæminis, ex *Lochiorum* suppressione successive ad *funestum* tragœdiæ morbosæ eventum promotis, singulares alterationes in corpore defunctorum sub *anatomico* scrutinio repertæ fuerint: ita *Hartmannus* in *A.N.C.* Dec. 2. an. 5. obs. 67. p. 142. sq. recenset, quod ex *Lochiorum* suppressione fæmina quædam *hydropica* facta fuerit, quæ tandem hoc morbo vita privata *uteri orificium in impervium solidum ligamentum immutatum* exhibuit: & Dec. III. An. 5. 6. obs. 93. recenset *Harderus* casum sub tit. *De anatome fæmina ex suppressione Lochiorum stupendo abdominalis tumore defunctæ*, in qua *abscessus in abdomine cum tenacissimo folliculo cinetus, ac permultis variæ magnitudinis corporibus glandulosis infarctus, cum diversæ formæ hydatidibus &c.* repertus fuit: quæ singulæ annotationes in *Prognostica præsentis affectus tractatione sufficere & satisfacere possunt.*

### §. VIII.

Proximum est ut *Pathologicam* sive causalem præsentis affectus tractationem subnectamus: imminuntur itaque & supprimuntur *Lochia* vel ob *spasmodicam* *uteri constrictionem*, vel ob *sanguinis congruentiam*, in illis locis tam *internæ superficie uteri*, unde secundinæ avulsæ, quam in *vasculis sanguiferis*, vel ob *nimum infarctum* *uteri substantiæ & vasculis* illis supervenientem, ut propterea *liber sanguinis effluxus* impediatur & sufflaminetur:

tur: *Primus modus spasticæ constrictio vel in orificio uteri, vel in reliquo uteri corpore succedit, eo vero variæ causæ occasio[n]ales & impulsivæ contribuunt: frequen-tissima harum est sensibilis refrigeratio, sive extrinsecus, sive intrinsecus admissa: ab extra evenit, quando fæmi-næ in loco frigido, aut simul humido pariunt, quando ab imperitis obstetricibus valde denudantur, ut frigidus aër pedes ac femora afficere, aut ipsa uteri loca intrare pos-sit; quam causam plurimi medici allegare sciunt, inter quos hoc loco allegamus Hildanum Cent. 5. obs. 42. cuius addita admonitio meretur hoc loco commendari: Vide-ant, ait, igitur obstetrics, ne parturientes aëri frigido ex-ponant, quin potius muliebria protinus a partu, aut ipsa se-cundina adbuc calida aut linteis calidis cooperiant. Aëre enim frigido, inquit Rod. a Castro Part. 2. Lib. 4. c. 12. nihil deterius puerperis est, quia ex illo vacuum uterum subeunte distenditur, frigescit & intumescit ipse uterus, ejusque ori-ficia occluduntur; unde hæc Lochiorum suppressio subinde-que gravissima symptomata & mors ipsa saepissime contin-git: conf. ejusd. obs. 43. nec non supra allegati authores, videlicet Bartholinus Aet. Hoff. l. c. Guldenkleè Lib. 4. cas. 35. p. 626. Diemerbræck obs. 19. Binninger. Cent. 2. obs. 45. Primerosius l. c. p. 331. qui dicit: aëre frigido nihil gravius utero vacuo & aperto accidere solet: Paræus de hominis generatione cap. 27. Lochiorum suppressionem a frigore ex-terno, post partum admisso, derivat, inde hystericam præfo-cationem, tormina, dolorifica, febres & alia sape funesta provenire asserit: Waldschmied l. c. ait: Lochia retinen-tur frequentius in illis, quæ difficillimum partum fuere ex-pertæ, quia aër frigidus dum admittitur diuturnitate tem-poris*

poris, qui impedit Lochiorum fluxum; ob id Musitanus Lib. de Morb. Mul. cap. XV. de Regimine Puerper. suadet: Puerpera quælibet ante, in & post partum ab omnibus tam actu, quam potentia frigidis, tam intra, quam extra corpus omni studio custodiatur, nullique frigidæ auræ perflationi, vel gelidæ aspersioni exponatur: addimus Sylvii testimonium, qui Lib. 3. Prax. Med. §. 15. differit: nullus autem contingit Lochiorum fluxus propter frigus externum, imprudenter Partus tempore in uteri sinum admissum, atque uteri orificio prius Placentæ commissa constringens, sanguinemve aut puitam hinc conjunctam in ipsis coagulans: Hunc aëris frigidæ accessum reprehendit etiam Mercatus l. c. p. 738. Nec tantum frigidus aër, abdomini admissus, Lochiorum suppressionem accersit, sed etiam si totum externum reliquum corpus post præviam ejus exæstuationem, a laborioso partu provocatam, sensibili refrigerio submissum fuit, evenit inde, ut non modo peripheria corporis, sed præcipua pars, quæ sub partu laboravit & nunc affluxui & effluxui sanguinis subjecta est, simili strictura afficiatur, hinc Dolæus in Encyclop. Med. dogm. Lib. V. cap. 8. de Morb. Mul. §. 12. refrigerationem subitam manuum & pedum causis, Lochiorum suppressionem excitantibus, annumerat: alia porro occasio sensibilis & morbificæ refrigerationis est, quando fæminæ partu calefactæ, aestuantes & sudantes in letum frigidum, aut frigido-humidum imponuntur, aut linteaminibus, indusio & vestimentis frigidis circumdantur & involvuntur; hinc Sylvius l. c. §. 17. dicit: saepenumero Lochiorum fluxus, supprimitur ab indusio, alove linteamine frigido, ac præsertim humido simul, puerperæ adhibito, a quo tam saepe mox supprimitur ille fluxus: eo porro spe-

Etat, si fæminæ mox post partum nudis pedibus superfrigidum, præcipue lapideum pavimentum incedunt; quemadmodum Rodericus a Castro l. c. incessionem super nivem accusare solet: multi alii medici vero pedum refrigerationem taxant, ut Sennertus, Ettmullerus, Hoffmannus in not. ad Hartmanni Prax. chymiatr. quæ singulæ refrigerationum occasiones in subjectis vel mediocriter, vel valde sensibilibus hunc effectum post se relinquunt: quamvis mirari subeat, cur aliquando in fæminis, duriori vitæ generi adsuetis & insensibilibus, clanculum parentibus, aut infanticidis, aut nefarie abortientibus, tales causæ, satis crasse admissæ, similem effectum haud proferant: Internis refrigeriis adscribendus est potus frigidus & infrigidans, quem plurimi hactenus recensiti authores accusant; quare humiditatem Sylvius l. c. & §. 18. præcipue taxat, quod cum frigore juncta potentius in universum corpus operetur: ita seorsim Primerosius l. c. Sennertus, Ettmullerus &c. frigidum potum nominant: annectimus denique intempestivum aquæ potum, quæ sicut facile refrigerat, ita similem effectum post se relinquit, uti Mercatus l. c. & ex eodem Roder. a Castro hanc causam reliquis annectunt: sic constat D. D. Præfidi casus, ubi fæmina, quæ in præcedentibus iteratis puerperiis defectum lochialis purgaminis passa fuerat, sexto demum partu soluta, fatigata & exæstuata, sitiente lingua haustulum cerevisiæ Læbiginensis frigidiusculæ assumserat, subito vero in Lochiorum suppressionem & repentinam mortem incidit, ex qua animadversione satis liquet, quantum & quam sæpe frigus ad inferendum hunc effectum valeat, contribuat & concurrat.

Præter hanc frequentius occurrentem causam, porro Lochiorum suppressionem provocat, *nimia* Puerarum imbecillitas ac virium prostratio, undecunque illa excitata fuerit, quam *Primerosius l.c. Roder. a Castro* testimonio propriæ suæ conjugis, *Mercatus l.c.* allegant, ob quam imminutus humorum progressus, facile horum crassitiem ac stagnationem, nec non uteri aliarumque partium atonia ac laxitas humorum affluxum & subsistentiam in iisdem infert, ut sine successu sufficientis effluxus sanguis in utero coacervetur & præter Lochiorum oppressionem variæ aliæ morbosæ afflictiones superveniant: Deinde Lochia imminuit sanguinis crassities, quam *Mercurialis. Mercatus, Primerosius, a Castro, Sennertus, Dolæus &c.* accusant, ob quam facile sub uteri collapsu & flacciditate aperturæ obruuntur & effluxus sanguinis spissi ac viscidi inhibetur; quemadmodum alias grumi & frusta coagulati sanguinis post partum cum multis molestiis, doloribus & difficultatibus excernuntur: ita enim evenit, ut sanguis viscosus, tenacius illis locis adhæreat, unde Lochialis fluxus succedere ac uteri laesa interna superficies se mundicare debet: porro ad suppressanda Lochia contribuit *nimia sanguinis abundantia*, quam etiam inculpare solent *Mercatus, Mercurialis, Paræus & a Castro*: dum enim sub labore Partus sanguis valde commovetur ac expanditur, facile ille magna copia partes obruit, quæ si alias flaccidæ fuerint, ut uterus post partum, facile illico magna congerie detentus, exitum ac orificia obstruit, ubi infarctu quodam impulsus ac incuneatus sanguis ille facile fluxus Lochialis occlusionem post se trahit, id quod ex legibus & rationibus sobriis, evidenti-

*dentibus & demonstrativis, non vero fictiis & imaginariis physicis, mechanicis & hydraulicis, (quæ posteriores satis familiares & numerosis contradictionibus, & petitionibus principii conspicuæ, nihil lucis, ducis, frugis & usus in tota Medicina afferunt, ac cum ridicula ac anili ostentatione velut umbra & fumus evanescunt:) inclarescit: inde etiam contingit, ut *congestiones* fortiores vel *sponte* ad uterum nunc *relaxatum* tendentes, vel per *commoventia* & *calefacentia* remedia concitatæ, sanguinem *nimia* copia intra uteri substantiam impellentes facile suspectum *infarctum* ac *scirrum* uteri cum Lochiorum defectu coniunctum causentur: id quod tanto certius ac citius accidit, quando in uno individuo *plenitudo* & *spissitudo* coniunctæ sunt: hinc *Welschius* in *Libro artis obstetricatoriae Part. II.* cap. 31. p. 489. cum suffragio *Aëtii* Lochiorum suppressionem a *nimia commotione*, licet sub *alia* interpretatione ac causalí explicatione derivat: præcipue vero hæc causa *fortioris congestionis*, uterum petentis, attento ac judicio animo advertenda est, quæ sane frequentius ac quidem reputatur hanc Lochiorum suppressionem excitat: quo referimus verba *Cordæi* in *Lib. I. Hipp. de Morb. Mulier. Comment. II.* namque in parturientibus ait, similiter *sanguis commovetur ad excretionem, atque Menstrualibus*, si itaque in quibusdam fæminis adest *adsuetudo accumulandi sanguinem, aut fortius & largius commovendi & emovendi illum*, præcipue sub negotio *Mensium*, vel molestius *multam sanguinis copiam tolerandi*, vel data *occasione impetuosis illum expellendi & arduis congestionibus illum ad diversa loca excretoria commovendi*, tunc contingit etiam, ut si porro sub *gravitatis termino ex diæta ple-**

*na & pingui, vitaque sedentaria multam sanguinis quantitatem collegerunt, spirituosa ingesserunt, partum laboriosum sustinuerunt, insuperque medicamentis calidis ulterius massam sanguinis valde commoverunt, tandem post partum vehementi congestione data occasione ad excludendum molestum copiosum sanguinem, post factam viarum apertio[n]em sanguis ille ad uterum fortius ruat, huncque obruat, ac loco debitæ evacuationis illum magis opplearat, infarciat ac obstruat: quo porro illa minus prospere decurrentia experimenta pertinent, quando imminuta Lochia cum pellentibus & uterinis calefacentibus remediis, s[ecundu]m loco promotionis plenarie suppressuntur: id ipsum etiam tanto facilius evenit, quando sanguis in quibusdam subjectis abundans & simul spissus est, ubi conges[t]orii motus tenacius partes & loca excretoria obruunt & obstruunt: in qua annotatione plurimum valori & efficaciæ motus tribendum est, siquidem in aliis fæminis pletboricis, ob aliud motuum gradum aliamque modificationem excedentes Lochiorum fluxus accidere possunt: unde liquet, quod uterque & quidem contrarius effectus haud principaliter illa portentosa constitutione, aut alia excogitata qualitate materiæ nitantur.*

## §. X.

Haetenus commemoratis causis, Lochiorum suppressionem provocantibus, adhuc plures aliæ annumerari possunt, quo loco allegamus Primerosi verba, quando *I. cit.* dicit: *causæ suppressorum Lochiorum eadem sunt cum Mensium suppressione;* ex hisce maxime eminent errores diætici, quando minus convenientes cibi assumuntur, qui & qualitate & quantitate sua turbas in primis regionibus excitant,

citant, videlicet flatulentiam, colicam, pertinacem alvi  
 adstrictionem, aut suspectam & impetuosam diarrhoeam,  
 pathemata colico-hysterica, & simul præjudiciorum strictu-  
 ras in utero ac connexam Lochiorum repressionem: quo  
 subinde referri meretur immoderatus alimentorum usus,  
 quem uno ore Mercatus & a Castro loc. cit. causis præsen-  
 tis affectus adseribunt: repentinam vero & vehe-  
 mentem efficaciam cohibendi Lochiorum fluxum sub suf-  
 fragio uberrimo quotidiane experientiae ac unanimi Medi-  
 corum testimonio habent animi pathemata, præcipue ter-  
 rор, angor, timor, mæror, qui affectus ut plurimum alias  
 evacuationes retinent ac reprimunt, proinde etiam vires  
 enervando ad præsentem affectum morbosum contribuunt:  
 etenim in genere sub hisce pathematibus animi humores  
 debilius circulantur, & solidarum partium actio magis ver-  
 sus cor dirigitur, ut ea propter inæqualiter ac insufficien-  
 ter sanguis distribuatur, indeque simul spissiorem consi-  
 stentiam nanciscatur, & sub reliqua debili commotione, de  
 qua pulsus lenis, mollis, debilis, inordinatus, depresso, sub  
 hisce affectibus animi obvius, testimonium perhibet, aut  
 parens ex uterinis locis effluat, aut plane deficiat; quem  
 admodum copiosis exemplis probari potest, quid prædicti  
 affectus valeant in cohibendis Hæmorrhagiis, tam violentis,  
 quam spontaneis, conf. A. N. C. Dec. 2. an. 5. obs. 222. de terro-  
 re, causa suppressionis Lochiorum, phrenitidis, convulsionis, mo-  
 ritis: terrorem menses obstruere, non modo quotidiana  
 testatur observatio, sed ex eadem omnes medici attenti  
 probare possunt. vid. Spindler obs. 70. Riedlinus Lin. Med.  
 An. 6. April. obs. 21. p. 435. qui singularia hujus observatio-  
 nis exempla proferunt: nec auditu infrequens est, q. od

Puer-

Puerperæ ex nocturnis terriculamentis, aut insomniis terribilibus repentinam Lochiorum suppressionem passæ, indeque in periculosos morbos , quin ipsam mortem conjectæ fuerint: cum hac causa cohæret eximius dolor cum angore, ut plurimum conjunctus , qui Puerperas quandoque affligit, undecunque etiam illius causa provenerit, qui communiter ad irregularē humorum progressum , nimiam enervationem, ominosam partium constrictiōnem, incongruam humorum repressionem ad interiora, perturbationem salutarium ac necessariarum excretionum , alterationem craseos & consistentiæ sanguinis, immoderatas congestorias commotiones in alia loca & regiones &c. contribuit, indeque etiam multis modis ad Lochiorum retentionem disponit ; testes hujus observationis non modo attenta est experientia, sed & ex eadem Mercatus, a Castro, Ettmullerus, Dolæus &c. eximum enim confert dolor magnus, tanto magis in subjectis sensibilibus & plethoricis ad inordinatam sanguinis commotionem, & partium tono præditarum, spasticam stricturam ; hinc experimenta cum dolore operantia, in certis casibus excretiones cohibent, quo pertinet experimentum coibitionis fluxus Mensum & Lochiorum cum Ligaturis. conf. D. D. Præsidis disp. de Therapia per dolores : in serie causarum non oblivioni aut negligentiori annotationi danda est fortis & pertinax congestio ad superiores regiones, cuius ex parte modo mentionem fecimus , cum quo congestorio motu interdum vicarium molimen bæmorrhagicum vele naribus, vel pectori enitens, conjunctum est: attamen aliquando evenit, ut impetuosa talis congestio ad mammas ruat, inque hisce lactis se- & excretionem urgeat , cum qua constrictiones inferiorum partium

partium subinde etiam ipsius uteri combinantur, quam causam seorsim *Sennertus & Ettmüllerus* inculcant: quando vero *Mercatus, Primerosius* aliique uteri os angustum pro causa hujus affectus allegant, tunc hæc nobis insufficiens esse videtur, ni *spastica constrictione angustia talis provocata fuerit*; quod si enim tale orificium aut *abortum*, aut *fætum mortuum*, aut *vivum* transmittere potuerit, tunc ad *Lochia dimittenda* non ineptum aut *angustum erit*, quando vero *spasmo penitus illud orificium occluditur*, tunc nec *fætum*, nec *secundinas*, nec *sanguinem* transmittit; quare hæc *angustia* cum illis causis connectenda est, quæ *spasticam* talem uteri occlusionem excitare solent, quales ha-ctenus recensuimus: interim ad *Welschii annotationem l. c.p. 488.* (quo ad *Avicennæ observationem* provocat) *va-ſa uteri angusta*, pro naturali *tenera ac gracili* personarum constitutione aliquid ad *parciorem uteri purgationem* *Lo-chialem contribuere possunt*, quando eadem sub *flacceſcentia* ac *collusione uteri comprimuntur*, indeque liber *affluxus & effluxus sanguinis impeditur*, *congrumescen-ia* vero hujus acceleratur, adeoque *Lochiorum imminutio & suppressio* provocatur: quæ singulæ causæ satis per-spicie hunc affectum excitant, quibus denique annume-ramus *ingestionem & usum substantiarum sive medica-mentosarum*, sive *alimentoſarum, adſtrictoria & narcotica* efficacia prædictarum, quæ *omnes alias fonticas evacuatio-nes in libero ac ſufficienti suo successu impedire & turbare* solent.

## §. XI.

Quando itaque *Lochiorum fluxus impeditur, immi-nuitur, aut plane ſupprimuntur*, tunc multa imminent da-mna,

mna; aut enim aliqua sanguinis extravasati quantitas in cavitate uteri, ob orificium uteri clausum, delitescit, & post aliquam temporis moram, ob confluxum variarum impuritatum, ob calorem internum, ob communem sanguinis dyscrasiam, quæ gravidis familiaris est, & ob copiosiorem abstersionem & receptionem impuritatum ex primis regionibus in reliquam massam sanguineam sub operoso partu & variis aliis connexis spasticis commotionibus, aut intensioribus congestionibus ad uterina loca ruentibus, corruptiōnem actualem assumit, quæ lœsam uteri regionem, cui ante placenta adhæsit, facile inficit, illius necessariam mundificationem & promptam consolidationem impedit, indeque vel malignam ulcerationem, vel cadaverosam putrefactiōnem cauſatur, cum qua offensione diversa ratione febris lento, hecūa, extrema virium prostratio, animi deliquia & repentina mors conjunguntur; aliquando hanc sanguinis retentionem prosequuntur spasmi, aut in utero continuantes, aut in vicinis intestinorum & vesicæ urinariæ regionibus aut alibi in abdomen cruciatus suos exerentes, sanguinis illius expulsiōnem, irregulari licet modo ac gradu, concorrentes, indeque colica, hysterica & cardialgica pathemata, adstrictionem alvi & urinæ, tenesmum, stranguriam, ardorem urinæ, stagnationes humorum in locis hæmorrhoidalibus, molimina dolorifica hæmorrhoidalia, aliasque vicarios co-natus hæmorrhagicos ex insolitis viis inferentes: interdum ob prædictas causas sanguis in ipsa uteri substantia stagnationem, oppletionem, infarctum ac stasis subit, eidemque repentinam putredinem minatur, cui statui morboso ad sanguinis illius resolutionem, discussoriam, aut evacuationem promovendam, superveniunt spasmi, convulsiones, inflammations

tiones & febres, continui ac acuti schematis, cum quibus affectibus principalibus varia alia morbosa pathemata conexa sunt: & talis periculosa sanguinis stagnatio non modo in utero, sed & toto abdomen ob consensum motus progressivi sanguinis ac tonici spastici contingit, inde ob humorum regurgitationem ac restagnationem in alias partes, variæ harum afflictionum ingruunt: id quod eo certius, citius ac gravius contingit, si fæminæ valde plethoricæ fuerint, si motus congestorio-excretorius ad uterum vehementer contendit, si per medicamenta calefacientia & partum laborium, sanguis valde impulsus fuit, hinc periculosa reliqui progressus humorum impedimenta oriuntur: quandoque febrili motu sanguis in proximo suo affluxu impeditus, resolvitur & largiori sudore excernitur, ne illius plenitudo & orgasmica commotio reliquo corpori eminentia inferat dania: interdum hic fons purgaminis obstructus, compensatur fortiori directione & præcoci congestoria translatione aut ad proximiora hæmorrhoidalia loca, aut ad ventriculum, aut intra pulmones, aut caput, ut Hæmorrhoidum fluxu, vel cruento vomitu, vel Hæmoptysi, vel narium hæmorrhagia præcedens defectus restituatur, quemadmodum in Mensium impedito successu, aut defectu natura eadem insolita loca seligit ac sectatur: subitaneæ & impetuosæ congestiones sanguinis alioquin valde commoti & orgasmica qualitate prædicti, intra pectus ac caput, supra nominatos inflammatorios, pleuriticos, phreniticos &c. affectus causari solent; quid quod si sub laborioso partu in fæminis, tenero coporis habitu præditis, ob violentam pressionem sanguinis intra caput factam, membranæ & vasa cerebri valde distenduntur & dilatantur, tunc porro largior affluxus humorum caput affligit

git & obruit, ut chronicci dolores capitis, cum *deliria* quandoque *mentis mutatione conjuncti*, excipient: præterea eadem vehementes ac præcoces *congestiones sanguinis*, per quam commoti ac *turgefacti*, intra caput ruentes, repentinam illico *stagnationem*, aut plenariam *extravasationem* causari possunt, ut affectus *apoplectici*, *bemiplectici*, *paralyzici* ac *stupida deliria* consequantur: quando etiam proportione *mixtionis sanguinis*, eraseos *lymphæ*, *dixitæ*, *vitæ generis*, *ingestorum* aliorum, *aëris*, *aque*, *loci* aliaruinque circumstantiarum seminium *purpuratum* reliquæ humorum massæ interfluit, licet interdum *antea nondum actuali* schemeate morboso *purpurato* fese exhibuerit, sed latitaverit, tunc non modo laboriosus & valde *exæstuans* partus, ed & mox superveniens sanguinis, tamdiu coacervari ac retenti, nunc vero admodum *impulsus repressio*, sub *Locorum suppressione* contingens, illud seminium ita comovere, augere & deteriorare solet, ut periculosus ille *Purpuratus* morbus cito ac facile consequatur, qui ob concursum majoris *impuritatis* ac *ubertatis sanguinis* semper gravior & periculosior evadit: ex quibus singulis animadversionibus facile *nexus morbosorum effectuum* inclaret, qui juxta hanc manuductionem ac fundamenta facile ad reliquas *morbosas alterationes & consecutiones* applicari potest, quæ meditationes etiam in *Pathologica* hujus affectus deductione satisfacere ac sufficere possunt.

## §. XII.

Subjungamus denique *Practicam* hujus thematis explicationem, in qua *cautelas præcipuas* præmittere placet, quo reliqua consilia & auxilia securius ac certius ordinari & applicari queant: & quemadmodum cum incongruis

experimentis & artificiis medicamentosis Lochiorum fluxus facile turbari & impediri potest, ita majori studio abstinendum est a precipitato usu sic dictorum pellentium, præc. humores valde commoventium remediorum, quæ loco promovendi fluxus, majorem non raro illius suppressionem & sanguinis periculosiorem stagnationem causantur, insuper reliqua ominosa symptomata, febrilium, spasticarum & inflammatoriarum commotionum provocant, nocent reliqua valde calida uterina, quæ æque perversum sæpe affectum exserunt, & motus, qui nunc congruo directorio indigent, magis perturbant ac confundunt: quamobrem evitanda est promiscua medicamentorum ordinatio, quoniam morbos effectus, in hoc præsenti affectu obvii, discrepantes sunt causæ, quibus adæquata auxilia invenienda & adhibenda sunt: evitentur porro alia impetuosa & simultanea evacuantia, præc. purgantia & sudorifera, quæ singulos motus, in ordinem ducendos, fortius corrumpunt: nam vero etiam affert perturbatio, aut negligentior promotio salutarium & necessariarum aliarum evacuationum; excludantur tentamina & regimina medica, quæ vires aliquin labascentes, magis enervant & obruunt: cavendum porro est ab intermissione, aut inopportuna & reliqua perversa commissione necessariæ ventilationis sanguinis, impr. VSnis, quam plurimi medici in hoc affectu confidenter commendant, quare Ballonius Epid. p. 208. dicit, quod in *Lochiorum suppressione V.S.* confidenter suscipi debeat; quemadmodum Hippocr. & ex eodem Galenus Lib. de tremore, palpitat. convuls. & rigore cap. 5. illam in hoc affectu laudarunt; eandem ventilationem sanguinis *Valleriola* Lib. V. obs. 10. p. 236. Diemerbræck in annot. ad obs. 19. aliique admodum

modum commendant: quando vero in hoc affectu sanguis serius, aut *parcius*, aut sub alia *confusa* methodo subtrahitur, tunc vel *nihil* utilitatis confert, vel potius *damnum* affert: abstinentiam etiam est a Salium & Spirituum *Volatilem* præmaturo, *promiscuo* & *largo* usu, quæ loco temperatæ *revocationis* Lochiorum non modo massam sanguinis vehementius commovent, sed & ad periculosas *congestiones* & *inflammationes* disponunt, id quod etiam valet de simili usu oleorum destillatorum; nocet porro *liberalis*, *largus*, *præcipitatus*, & *indiscretus* usus *myrrbatorum*, *crocatorum* & *castorinorum* remediorum, quæ in multis subjectis nimium commovendo, *nihil* promovent, sed varia suspecta symptomata excitant; si jam per aliquot dies hic fluxus substiterit, nihil *impetuose* tentandum, quoniam nunc *pertinacior* reddita est illius retentio: quæcunque in primis regionibus turbas excitare solent, ut *dulcia*, *acria*, *acida*, valde fermentantia, refrigerantia, alvum turbantia &c. illa in hac necessitate sollicite excludantur: quodvis *frigus* in & *externum* in præsenti affectu valde fugiendum est, quoniam non modo suppressa *Lochia*, sed & libere fluentia facile *imminuit* & *supprimit*: *Opiata* in hoc affectu & symptomatibus hunc comitantibus raro, aut maxime circumspete adhibeantur; quæ in *deliriis* & intensioribus *capitis doloribus* in hoc affectu occurribus *haud facile* ordinarri debent: *multitudo* & *multiplex* *variatio* remediorum in hac necessitate perinde *nociva* est: *regimina æstuosa* præfenti afflictioni valde sunt *præjudiciosa*, ac facile febrem, nec non in multis subjectis *Purpuram* causantur: nec *cordalia* & *stomachica* satisfaciunt, etiamsi *cardialgicæ molestiae* frequenter hunc affectum comitentur, quæ tanquam

*symptomatica afflictio ut plurimum ab alia causa proveniunt, cui illa remedia haud principaliter adaequata existunt: neque etiam specificis Lochia restituentibus aut directe promoventibus fides danda est, quæ alio effectu praedita, in hoc casu spei minus satisfaciunt: Topica valde stimulatio, in quibusunque formulis adhibeantur, magis pernicioſa sunt, dum affluxum sanguinis ad uterus, motum ipsius uteri, & praesentem stagnationem humorum in utero valde turbant & facile periculosa consectaria allicit: nuda symptomatum mitigatio facile fonticos & periculosos morbos pedissequos habet: nisi etiam in plethoricas ac florido sanguine praeditis fæminis, Lochiorum suppressionem subeuntibus, tempestive sanguis ventiletur, facile suspecta Purpurata afflictio supervenit, quæ proinde difficulter efflorescit & periculoſo successu decurrit: experimenta minus probata, sed dubia, hic affectus ægerrime perficit: evacuationes artificiales in superiores corporis regiones humorum transitum copiosius accersentes, Lochiorum revectioni magis prejudicialeſe sunt; quare V.Sic in brachio in hoc effectu magis inimica & contraria est; hæ potiores cautelæ reliquam medendi methodum magis illustrant & confirmant.*

## §. XIII.

*Directa aut positiva Therapia, quæ Lochiorum Suppressioni competit, diversis causis, supra recensitis respondere debet, quæ vero in quotibet casu conducunt, sequentia esse possunt adminicula: ante omnia necessaria & proficia est olvi lenitio, quæ simul in reliquo uteri confiniis apertitionem ac humorum accessum transitumque conciliat, quo languis in utero & circa hunc stagnans melius dis-*

2478

cuti ac in salubrem progressum converti queat: raro quidem cum Lochiorum suppressione diarrhææ concurrunt, neque etiam, si contingunt, indiscretim salutares sunt, attamen capropter temere cohiberi ac supprimi haud debent; tantum vero aliquando eadem juvant, ut dum humorum congestio ad intestina transit, in utero præjudiciosa congestio haud eveniat, nec continuet, & si quid stagnantium humorum illico adsit, illud facilius resolvi & a periculo corruptionis interdum præservari queat: de reliquo vero alvi emollitio in hac necessitate, suppressi nim. lochialis fluxus, ut plurimum fructuosa est, quæ comodissime obtinetur clysteribus, attamen nec frigidis, nec nimium relaxantibus, multo minus stimulantibus & valde acribus: conducunt rectius clysmata ex speciebus emollientibus, ut & herbis melissæ, menth puleg. abrotan. matricar. rad. aristol. rot. valerian. meu. bacc. junip. & laur. sem. dauc. cret. cumin. carv. anis. cort. aurant. addendo in fine tantillum croc. orient. castor. olei chamois. & anethini decocti, parata, iterata etiam vice ordinanda, quibus aliquot grana de pil. Stahlianis, aut etiam de nitro sociari possunt: mox etiam V. Sio in pede substituenda est, de qua Waldschmidius I. c. testatur, quod sæpe in hoc casu generosum remedium præbeat: quam etiam eam ob causam laudat Sennertus, quoniam sanguinis plenitudinem minuit, sanguinemque re sus uterum revocat: tanto magis hæc V. S. instituenda est in subjectis sanguine multo & florido præditis, & quibus alioquin purgamina uterina largiora, nunc vero partus operosior fuit, ne præter reliqua ominosa supervenientia pathemata suspectus ille Purpuratus affectus accidat: cuius accessus omnino in talibus subjectis, V. Snem

in pede urget, ne ob invasionem aliorum periculorum  
 symptomatum, Purpura certius funesta reddatur, majori  
 & copiosiori impuritatum congerie accumuletur, & in ef-  
 florescentia sua retardetur & impediatur, neque inquinamen-  
 tum purpuratum ob retentum ac valde commotum  
 sanguinem in tempestiva ac facili sua excretione turbetur,  
 neve sub concursu orgastici sanguinis motus magis depra-  
 vetur; hinc uberrima experientia comprobatum est, quod  
 post Lochiorum suppressionem in subjectis praedictarum  
 qualitatum omissa V. Sio, Purpuram causetur, & si immi-  
 net, efflorescentia sua difficultorem reddat, indeque gravio-  
 rem & periculosorem morbosum statum convocet, præc.  
 febrem, angustias praecordiales, virium prostrations, in-  
 ternal ardorem, colicam hysterica, spasmos in mem-  
 bris externis, lipothymicas offensiones &c. quando vero  
 tempestive V. S. ne sanguis depletur, tunc non modo hæc &  
 adhuc plura alia symptomata præoccupantur ac avertun-  
 tur, sed & inquinamenti purpurati excretio adjuvatur &  
 facilitatur; id quod multis rationibus & exemplis pra-  
 eticis probari potest, modo limites nostri laboris concedant:  
 cavendum tantum est, ne talis artificialis sanguinis missio,  
 confuse, præpostere, inopportune & serius instituatur; qua-  
 re judiciosi medici erit, quaslibet circumstantias conciliare,  
 ne in valde debilibus & antea sanguine exhaustis talis V. S.  
 admittatur: neque etiam, ut ante notavimus, vena in bra-  
 chio aperienda est, quæ totum processum in hoc casu emi-  
 nenter turbat, siquidem V. S. in pede celebrata & imminu-  
 torium & derivatorium & revulsorium usum exserit: quan-  
 do vero periculosa inflammatio uterus occupavit, tunc  
 quidem V. S. in brachio locum invenire videtur, ut non

modo

modo *urgens* sanguinis *abundantia* minuatur, sed & *derivatione* inducatur; ast cum altera V. S. quæ in *pede* suscipitur, *similes* utilitates præstat, insuper præcavet, ne motus *congestorii pectus* & *caput* obruant & pertinaciter invadant, ita *posterior*, præ altera *magis* locum invenit, quid quod in *futurum* præoccupat, ne ex prævia Lochiorum perturbatione arduæ & ægre in ordinem ducendæ *Mensium anomaliæ* consequantur: quare in *omnium auxiliorum ordinatione* & *operatione* non modo advertere convenit, an de *præsenti* non noceant, sed & an non *noxios* successus *post se* relinquant, quoniam alias facile Lochiorum suppressiones, si non *mature*, *sufficienter* & *legitime* restituuntur, *Mensium turbas consequentes* causantur: quid quod cendum est, ne V.S. in brachio *inconsulto* præstata, stagnationes humorum in *utero* obfirmet, dum necessarium motum sanguinis *resolutiorum* a *confiniis* uteri avocat, & in superiores corporis partes *seducit*, qualia pericula & *sinistrarum*, aut *contrariarum* operationum specimina a V.S. in *pede* administrata, minus expectanda & metuenda sunt.

## §. XIV.

Quo vero non modo excretio *alvina* libero fruatur successu & quo legitimus progressus sanguinis in *utero* & circa hunc, ut & facilis illius excretio promoteatur & invitetur multam opem in præsenti afflictione uberrimis exemplis præstitit prudens usus *Pilularum Stabliana-rum*, quæ *pulverisatæ*, ad *citiorem effectum* allevandum, per *triduum* propinari possunt, subjunctis & combinatis reliquis adminiculis: quando vero Lochiorum suppressionem repentina & pertinax *alvi adstrictio* excepit, tunc harum pilularum usum *autecedere* debet ordinatio *clysteris lenientis*, ita eveniet, ut laudatae pilulæ *præstantiorem utilitatem* afferant: Proinde in *specialiori præsentis affectus*

medica tractatione singulis causis, quas supra nominavimus condigne succurrere convenit: quare præcipitata & promiscua Lochiorum impetuosa, aut communis impulsio sollicite dissuadenda & omittenda est, quæ repentinus & perniciosos effectus causatur: eam ob causam via & occasio prius paranda est, ut postea liberius, facilius & lenius Lochia recurrent & progrediantur: omnis enim impetuosa & coacta Lochiorum aggressio ac commotio valde nociva & suspecta, adeoque magna cura omittenda est: Si itaque præsens affectus a spastica occlusione uterinarum partium ortum traxerit, undecunque illa provocata sit, tunc conducent interna & externa antispasmodica, lenientia & emollientia secura, cum promotione liberi humorum progressus, ac massæ sanguineæ moderata humectatione & congrua commotione ad innovandum Lochior. fluxum: conferunt itaq; pulveres antispasmodici ex C.C.sin. ign. Lap. 69. ppt. corall. rubr. ppt. nitr. depur. pulv. marchion. & cinnab. medic. similem vim resolventem & temperantem habent Magisteria absorbentium, aut componatur sequens elixir. ex aquis destil. scorzon. C.b. card. mar. meliss. fl. til. sambuc. acac. naph. ceras. nigr. chamomill. extr. valerian. cent. min. castor. nitr. purif. Lap. 69. citr. corall. rubr. ppt. &c. præter hæc conferunt infusa calida ex rad. scorzon. valerian. apii, bardan. cichor. gramin. herb. betonic. pulegii capill. vener. meliss. abrot. flor. chamom. vulg. papav. rhœad. aneth. sambuc. bacc. laur. sem. cumin. fœnic. fœnu græc. addito tantillo croci orient. & crystall. tartar. aut ordinentur pilulæ ex extr. valerian. aristol. carb. bened. meliss. chamomill. castor. G. Galban. myrrh. aloë correct. Si febris deest conductit mixtura ex essentia Valerian croc. orient. vincetox. helen. cort. aurant. pimp. alb. castor. cum spirit. nitr. dulc. sociata: sic confert pulvis ex Lap. 69. citr. C. C. sin. ign. corall. rubr. ppt. nitr. purif.

& extr. castor. liquid. Licet etiam cum aquis destill. prædictis diaſcord. Fracastor. extract. fl. chamom. vulg. & spir. nitr. dulc. miscere ac propinare: conduceſt præterea Deco-  
ctum C.C. aut avenæ cum flor. chamom. & ſemin. cumin.  
carv. ac bacc. laur. mixtum: quæ ſingula adminicula placi-  
dam ac neceſſariam *diaphoresin*, ſub *congrui regiminis* con-  
ciliatione invitant: cum hiſce auxiliis conjungi poſſunt *ex-  
terna lenientia*, velut *fomenta vaporofa* ex ſpeciebus emol-  
lientibus ut & radicibus aristol. rot. valerian. angelic. di-  
ptam. alb. meu. galang. herb. matricar. puleg. meliff. rorismar.  
ſerpilli, abrotan. fl. chamom. officin. ſambuc. aneth. papav.  
errat. bacc. laur. anthophyll. ſem. amii veri, cumini, dauci  
cretici; poſſunt etiam ſacculi ex ejusmodi ſpeciebus para-  
ti, cum castor. aſa fœtid. G. Galbani & croc. orient. mixti  
ac lacte decocti, bene expreſſi & mediocriter calidi regioni  
epigaſtricæ ac inguinali applicandi: alias *calor humidus*,  
congrue applicatus, proinde ominofas *ſtricturas* relaxat &  
mitigat: Linimenta & unguenta ob laxitatem abdominalis  
non conveniunt, quia valde poros obſtruunt & varia in-  
de pendentia incommoda præc. majoris *relaxationis* & *ex-  
coriationis* cum dolorifico ardore coniunctæ, quin plane  
ſuceptæ humorum stagnationis, cauſantur: poſſunt inſu-  
per *Pediluvia*, modice calida, aſt ſine *intenſiori* humorum  
commotione, ut & ſine ſucepta *refrigeratione*, efficacia,  
quæ in genere etiam ad Lochiorum revocationem inſervi-  
unt: cum *circumspectione* adhiberi poſteſt Emplastrum de  
Galbano crocatum, mixtum cum Empl. de Melilot. Cam-  
phorat. extr. fl. chamom. castor. valerian. & parca quanti-  
tate oleorum deſtill. cumin. juniper. carv. meliff. & ol. coct.  
cheiri. quod empl. non immediate abdomini, ſed *interpoſito*  
leniori lindeo, per paucum temporis ſpatium applicari, mox  
removeri, & dein iterum ſimili alternatione imponi pot-

**e**st: *nimum emollientia* proximius ad, aut intra uterum applicare velle, *consultum* haud est, quoniam in hac necessitate *atoniam & flatulentiam*, aut *tympanitico-hydropicam* inflationem, aut ominosam *illapsionem* uteri causantur: præter hæc omnia convenient *vesicæ* cum decocto *leniente* & securius *uterino* cum *lacte* parato, impletæ & moderate calidæ regioni *epigastricæ* applicandæ, quæ multum ad *spasmos* præsentes *leniendos* conferunt.

## §. XV.

Quod si sanguinis *spissitudo* hujus affectus causa fuit, tunc præter modo *laudata* lenientia, correcta emollientia & diluentia, conducunt decocta ex rad. valerian. aristol. rot. scorzoner. fenic. cichor. taraxac. bardan. petroselin. gramin. herb. capill. vener. rut. artemis. menth. meliss. puleg. flor. chamom. vulg. aneth. papav. errat. sambuc. bacc. laur. & junip. semin. anis. dauc. cret. ras. ebor. tremor. tart. passul. min. polypod. quern. interponatur *pulvis resolvens* ex Lap. 69. citr. antimon. diaphor. ( aut loco hujus specif. cephal. Michael., nitr. antimon. crystall. tartar. cinnab. antimon. alternetur cum Mixtura ex ESS. angelic. aristol. rot. gentian. rubr. helen. vincet. pimp. alb. parreir. brav. artemis. meliss. cum spir. tart. & nitr. dulc. mixta: ex culina offerantur *gelatinæ* dilutiores ac aromatisatae, nec non jusculta liquidiora, modice crocata, aut decoctum rad. scorzoneræ cum juseulo carnis vitulinæ crocatum, quæ singula auxilia sanguinem *spissum* diluunt & resolvunt, languescentem motum *promovent*, & subinde fluxum Lochiorum invitant: conjungantur *clysteres lenientes*, quibuscum *confinia uteri* ad affluxum & effluxum sanguinis *permeabilia* redduntur: Si ob *virium* necessiarum *defectum* Lochiorum defectus ingruit, tunc ordinanda sunt *roborantia & analeptica*, velut emulsiones ex aquis meliss. lil. convall. ceras. nigr. cinnam. naph. fl. acac. rosar. rorismar. &c. amygd. dulc. pineis & sacchar. perlato con-

ficiendæ; aut conduceit Ess. meliss. cort. citr. & aurant. succini pīmp. alb. galang. cinnamom. croci cum Ess. dulci & spir. bezoard. Bussii & nitr. dulc. combinata: conjungantur *juscula* dilutiora *vinosa* & parcius *crocata* aut alia roborantia, *Krafft-Brūhen*: nec non *fomenta vaporosa nervina*: Si *congestiones* fortiores & pertinaciōres *uterum* offendant, conducunt prædicta *antispasmodica*, nec non in- & externa *lenientia* hactenus commendata, quibuscum conjungantur *frictiones* crurum ac pedum, *leniora rubefacientia* pedum plantis apponenda, *manuluvia*, *cucurbitulæ cœcæ* suris apponendæ ut & *selecta* ac *secura* *sedantia*, velut *Castoreum*, *Crocus*, *Chamomilla*, & *theriaca*: Si vero *congestiones* in *superiores* *regiones* trans̄ant, conferunt præter laudata *temperantia* & *lenientia*, etiam hactenus allegata derivantia & *revellentia*, cum sub juncto usu *blande diaphoreticorum*, quo referimus potionēs ex aquis *scorzon.* fl. *tiliae*, *sambuc.* *acaciar.* *paralys.* *chamom.* *ceras.* *nigr.* *meliss.* *naph.* *Lap.* 69. *citr.* *corall.* *rubr.* *ppt.* *pulv.* *marchion.* *cinnabar.* & *spirit.* *nitr.* *dulc.* paratas. Si affectus præsens a *terrore* originem traxit, conducunt, prælaudata *antispasmodica*, *lenientia*, *temperata* *diaphoretica* & *analeptica*. Si vero a *metu* & *mœrore* ortus fuerit, tunc convenient *interna lenia diaphoretica* & *nervina*, *mitiora pellentia* sic dicta ex myrrha, croco, artemis. puleg. matricar. cinnam. galang. zedoar. Elix. P. P. sin. acid. &c. confienda, conjunctis *topicis roborantibus* & *afflumsum sanguinis* ad *uterum revocantibus*; quo pertinet Mixt. ex Tinct. antim. tartaris. Ess. myrrh. croc. orient. fuccin. anis. & dulci, præparata; quibus interponatur *providus* & *modicus* usus *jusculturum vinosorum*: Si intercurrentes nimii dolores, causa suppressorum *Lochiorum* fuerint, tunc, si necessitas postulat, opportunitas temporis permittit & circumstantiæ admittunt, *venam secare*, *alvum elysmate* aperire ac admonere & præter saepe commendata *temperantia* *antispasmodica*, etiam *lenientia* & omisso opio, reliqua hactenus laudata *securiora sedantia* in & externa adhibere præstat: Si *vaforum* *gracilitas* & *subtilitas* in culpa fuerit, interest interne & externe *emollientia* cum *temperatis* *uterinis*, nec non *sanguinis fluiditatem* & *sufficientem progressum* *promoventia*, aut *motum sanguinis impeditiorem* mitius excitantia ordinate: In *qualibet* vero *cauſa*, ejusque tractatione medica ratio & necessitas postulat, quo *congrua roborantia* *dīætētica* & *pharmaceutica* conjungantur & subordinen-

tur: ne vires, per præviam graviditatis molestiam, ac prægressum operosum & dolorosum partum debilitatæ, cum magno impetrandæ ac adjuvandæ convalescentiæ præjudicio citius deficiant & languescant: quos principaliores respectus in succincta practica hujus affectus explicatione observare & commendate placuit: excludimus vero iterata vice acriores suffitūs, (quo colocynthidis usus spectat) & similia pessaria; leniora enim remedia, qualia inter alia hæc tenuis commendavimus, non modo perinde utilia existunt, sed & periculosa symptomata, quæ ab acriorum usu facilius metuenda sunt, avertunt; quare securior methodus aliis ambiguis experimentis præferri meretur.

## §. XVI.

Paucis adhuc nonnullorum symptomatum, præsentem affectum comitantium, mentionem facere lubet: familiare accidens suppressorum Lochiorum Febris est, quæ propterea Lochialis est: hæc avertri potest aut præoccupari, tempestiva & congrua V. Sæ, reliquarum ordinariarum excretionum modica promotione, remediorum & regiminum valde calefacientium sepositione, ac auxiliorum temperantium, lenientium & leniter diaphoreticorum ordinatione: quod si vero nunc Febris acta occupaverit Puerperam, tunc ob urgentem Plenithoram, ob sanguinem valde subtilem & commotum, ob prægressum partum laboriosum, ob subitaneam & simultaneam Lochiorum suppressionem, ob remedia ante, sub & post partum adhibita calefacientia &c. mature V. S. administrari & deinde medicamenta febrem motum mitigantia & lenem diaphoresin convenienti modo & tempore promoventia ordinari debent, velut pulveres ex C. C. sin. ign. lap. 69. citr. antimon. diaphor. & nitr. depur. parati, aut Potiones ex aqua dest. chærefol. scorzoner. plantag. c b. card. mar. galeg. fl. sambuc. chamomill. til. ceras. nigr. meliss. cum prædictis puveribus mixtæ, compositæ; huc etiam quadrant Emulsiones ex similibus aquis paratæ additis pineis, semin. 4. frigid. maj. card. mar. loco potus ordinarii, adhibetur Decoctum ex avena excortic. rad. Scorzon. sem. fœnic. cort. citr. & tantillo nitri: subjungatur regimen moderatum, nec nimis rigorosum, nec nimis negligens, sed moderata qualitate placidam diaphoresin promovens: Quando congestiones ab utero ad hemorrhoidalia loca tendunt, tunc præter usum Clysterum emollientium & leniter roborantium cum olco cocto chamomeli-

no, anethino & tantillo castorei miscendorum, *Hirudinum* applicatio ad affectum dolentem locum convenit: conjunctis fomentis & mollientibus, roborantibus & mitius resolventibus, minime vero repellentibus: interne ordinentur *antispasmodica*, *blande diaphoretica* & *diuresin remissus* promoventia, praeter reliqua *lenientia*; si internus ardor affligit, praeter *V. Snem*, opportune institutam, & *ordinariarum excretionum promotionem*, interne convenienter *Potiones ex aquis temperantibus*, *resolventibus* & *antispasmodicis* (quas superius aliquoties nominavimus) *Lap. 69.* citr. corall. rubr. ppt. spirit. nitr. dulc. & pauxillo extract. castor. aquos. ac specific. cephalic. compositæ, nec non *emulsiones* supra laudatæ, ut & pulveres ex *Matr. perl. pp. lap. 69. citr. bezoard. miner. nitr. purif. & cinnab.* Externe adhibeantur *succuli* & *vesicæ* ex speciebus *lenientibus*, *resolventibus* & *secreta sedantibus* constantes: Si *Cardialgicæ* angustiæ valde urgent & affligunt, tunc *præmissa V. Snc*, pro circumstantiarum ratione, convenient clysteres, pediluvia, frictiones pedum; interne vero remedia fæpius commendata temperantia diaphoretica & sedantia, velut pulvis ex *Matt. Perl. ppt. nitr. purific. pulver. marchion. & extr. castor.* aut pulvis ex *Corall. rubr. ppt. CC. fin. ign. nitr. antimon. specific. cephal. & extr. castor.* huc pertinet elixirium ex aqu. destill. cithor. chærefol. millefol. scorzon. fl. til. sambuc. meliss. extr. cascarill. aquoso, extr. chamomill. valerian. *lap. 69. citr. & lap. prunell.* aut spirit. nitr. dulc. convenient etiam emulsiones ex prædictis aquis destill. amygd. dule. sem. card. mar. papav. rhœad. addito tantillo *Essentiæ dulcis*; Si *Purpuratus* affectus imminet, tunc in *fæminis calidi* temperamenti præc. tempestiva *V. S.* ordinanda est, sicut §. 13. monuimus, quæ multa alia ominosa accidentia una cum funesto evenitu sepe averiuit, efficitq; ut *facilius & citius* inquinamentum efflorescat & reliqua urgentia & angentia pathemata mitescant: de reliquo talia auxilia adhibenda sunt, quæ in *diss. D. D Præsidis de Purpura Pyerpetrarum* commendata prostant. Si motus excretorii inversi in *alia* loca desultent, velut ad *caput*, tunc *actualis*, inde eveniens excretio sanguinis, modo *moderata* sit, subito intercipi, supprimi & repelli haud debet, interea adhibeantur remedia vires modice reficientia, motus *temperantia* sanguinem congrue diluentia, & qualem humorum progressum conservantia, ordinarias excretiones promoventia & stagnationes circa uteri regionem occurrentes, mitius resolventia: quando

cum Lochiorum Suppressione una *urina retentio* concurreit, tunc  
 clyster emolliens cum herb. matricar. veronic. menth. bacc. junip.  
 sem. anis. mixtus, nec non cataplasma ex specieb. emollient. rad. va-  
 lerian. caryophyllat. ir. flor. vincetox. herb. matricar. parietar. roris-  
 mar. serpill. flor. aneth. chamom. vulg. sambuc. papav. errat. sem.  
 foenic. bacc. junip. cum lacte paratum, addito tantillo extr. croci,  
 Camphoræ, olei scorpion. conducunt; interne ordinentur antispas-  
 modica, emulsiones lenientes, modice resolventes & sedantes, quo  
 pariter parcum usum castorinorum remediorum referimus, velut  
 Mixturam ex Ess. cort. aurant. vincetox. valerian. aristol. rot. gen-  
 tian. rubr. Castorei cum spir. nitr. dulc. aut liquore C. C. succinat.  
 Quando denique *alia circumstantiae non obstant*, præter *prædicta* re-  
 media Lochiorum fluxum revocare adjuvat. Miscela ex Ess. angelic.  
 valerian. diptam. alb. gent. rubr. cort. aurant. vincetox. castorei, g4-  
 lang. aut etiam zedoar. ut & ess. dulc. addito elix. uterin. Crollii &  
 spir. nitr. dulc. qualia tamen remedia nec facile, nec promiscue, nec  
 sepe, nec copiose, sed valde judiciose ordinanda, ut supra monuimus.  
 Reliqua symptomata, ( quoniam nonnullorum tantum mentionem  
 facere placuit) juxta speciem ac causam suam tractari debent: suf-  
 fecerit hac deductione *præcipuas indicationes* & animadversiones  
 practicas commendasse; quæ si rite & perite ad usum ducuntur,  
 non æque instrumento illo Glauberiano, aut sacculo Hildani ( licet  
 quidem utraque experimenta virtute sua non destituantur, modo  
 prius rectius cum decocto emolliente & leniter uterino ordinetur) o-  
 pus erit: quando denique *Lochia in ordinem redacta sunt*, tunc post  
 brevem temporis decursum infusum vinosum uterinum abstergens,  
 mundificans & evacuans ordinare convenit, ex rad. Angelic. Ca-  
 rycphyllat. Aristol. rot. Bryon. dipt. alb. vincetox. Cyper. rot. gen-  
 tian. rub. parreir. brav. herb. capill. vener. scord. cent. min. c. flor.  
 absinth. c. b. rorismar. puleg abrotan. meliss. menth. fl. chamon. u-  
 tr. calend. sumit. origan. bacc. laur. sem. foenic. nigellæ dauc. cretic.  
 Cort. aurant. polypod. quern. rhabarb. opt. agaric. crystall. tart. con-  
 ficiendum: Acquiescimus itaque in hujus affectus præsenti expli-  
 catione, ne in diffusam molem labor noster accrescat. DEO Be-  
 nignissimo humillimas gratias devotissimasque laudes tribuimus,  
 quod almo suo auxilio in præsente labore nobis adistere voluerit,  
 quem porro rogamus, ut hunc conatum cum reliquis insi-  
 tutis nostris exoptato ac salutari coronet